



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

**Lourenço, Agostinho**

**Leodii, 1694**

Disputatio V. De Reprobatione

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80131)

lum juxta finem intentum, qui si fuerit honestus, qualis est beatitudo, ad quam ipsa permissio potest ordinari, etiam illa honesta erit, & ut talis poterit à Deo eligi, & amari.

189. Instabis: Deus non potest amare permissionem peccati, ut permissio est; alioqui cum permissio ut sic dicat donationem auxilii sufficientis, ut sufficiens est, & hoc ut sic dicat negationem consensûs, hæc autem formaliter sic peccatum, si Deus vellet tale auxilium ut sic, vellet etiam peccatum; sed hoc non est dicendum; ergo neque illud, ex quo sequitur. Respondeo negando majorem, ad cujus probationem dicimus, Deum tribuere illud auxilium positivè, quatenus habet sufficientiam ad ponendum consensum, & non positivè, sed tantum permisivè, quatenus habet negationem illius; quæ negatio cum non sit per se annexa ipsi auxilio, sed tantum ex mala, & libera hominis determinatione, quam Deus prævidet per Scientiam Mediam, idèd non sequitur, quod Deus, licet velit tale auxilium ut sic, velit etiam ipsum peccatum.

190. Argues 9. Illud, cujus oppositum est de se majus bonum, non potest esse beneficium; sed auxilium efficax ad vitandum peccatum est majus bonum, quàm illius negatio, quæ in permissione ipsius peccati reperitur; ergo hæc non potest esse beneficium; consequenterque neque prædestinationis effectus. Respondeo majorem esse absolutè falsam; nam secundum se majus bonum est vita temporalis, quàm ejus carentia; bona valetudo, quàm ejus carentia; & habere esse, quàm illud non habere; & tamen quia hic, & nunc cujuslibet negatio utilior est ad vitam æternam, idèd majus bonum reputatur juxta illud Christi Domini de Juda, Math. 26. ibi: *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.*

191. Patet ratione, quia cum bonitas cujuslibet rei desumenda sit in ordine ad subjectum ratione finis, ad quem ei magis inservit, accidere potest, quod una res, quæ secundum se melior erat ad aliquem finem inferiorem, non ita sit in ordine ad alios fines superiores, sed ad hos magis inserviat ejus negatio, in quo eventu hæc reputabitur majus beneficium, ut reputatur in exemplis adductis. Undè ad minorem argumenti dicimus, vocationem congruam posse quidem esse utiliore ad vitandum peccatum furti v. g. & non ita esse utiliore ad actus poenitentiae, humilitatis, & similes, ad quos potest magis inservire ejus negatio, & illi magis inservire ad salutem, in quo eventu hic, & nunc majus beneficium erit ejus negatio, quàm ipsa vocatio congrua.



## DISPUTATIO V.

### De Reprobatione.

#### SECTIO I.

*Quid sit, & an detur in Deo Reprobatio?*



**D**IFFICULTAS 1. Qualia sint reprobatorum nomina? Dico 1. Eorum, qui damnantur, plura sunt in Sacris Litteris nomina: dicuntur enim odio habiti, vasa contumelia, & iræ apta in interitum. Rom. 9. dicuntur etiam *despecti*, Ecclesiast. 7. Psalm. 26. & 137. *expulsi*, Luc. 13. *repulsi*, Rom. 11. Proverb. 14. Psalm. 118. & 87. *profecti*, Jerem. 6. *foras ejeti*, *missi*, & *expulsi*, Joan. 6. & 15. & Matt. 13.

Dico 2. Hoc nomen *reprobis* in Scriptura solet usurpari absolutè pro improbo, seu peccatore, ut constat Eccles. 9. ibi: *Speciem mulieris multi admirati, reprobi facti sunt.* Et 1. Cor. 9. *Ne forte cum aliis predicaverim, ipse reprobis efficiar.* Et 2. Cor. 13. *Nisi forte reprobi estis.* Et 2. Tim. 3. *Reprobi circa fidem.* Et ad Hebr. 6. *Proferens spinas ac tribulos, reproba est, & maledictio proxima.* Nunquam tamen invenitur expressè sumptum ad significandos damnatos ad poenam æternam, ut notat P. Soar, lib. 5. de prædest. cap. 1. num. 1. & P. Vasq. 1. part. d. 94. cap. 4. sed à Theologis transfertur ad illos significandos, si sint damnati ad solam poenam damni, ut sunt qui cum solo originali decedunt, siue etiam ad poenam sensûs, ut qui decedunt cum peccatis personalibus, sicque apud Scholasticos idem est reprobis, atque damnatus.

Dico 3. Duo sunt frequentiora nomina, quibus Scholastici solent quoslibet non prædestinatos appellare: Primum est nomen *reprobis*, quod adequatè correspondet reprobationi, quatenus hæc potest accipi non solum pro scientia judicantis aliquid esse malum, sicque dignum ut rejiciatur; sed etiam pro libera electione voluntatis decernentis aliquid ut malum, & indignum rejicere; quæ duæ significationes colliguntur ex significatione approbationis juxta illud Actor. 2. *ESVM Nazarenum Virum approbatum.* Secundum nomen est *præscitis*, non quia prædestinatos Deus non præsciat, cum prædestinatio sit ipsa scientia approbationis; & Deus specialiter eos agnoscat, & præsciat, ut patet ex illo Joan. 10. *Cognosco oves meas.* Et ad Rom. 11. *Non repulit Dominus plebem suam, quam præscivit.* Et 2. Tim. 2. *Novit Dominus qui sunt ejus:* sed quia restringitur ad perditos, quasi eorum distinctivum à prædestinatis, ea ratione, quâ solemus distinguere, & vocare animalium nomine ea, quæ sunt irrationabilia, & distinguuntur ab homine, licet homo sit etiam animal. Quamvis autem inter Scholasticos *præsciti* absolutè dicti, solum intelligantur reprobi; nihilominus præscientia absolutè dicta, non solet pro reprobatione usurpari.

Difficultas 2. Utrum in Deo detur reprobatio? Affirmativè. Est de fide. Ita P. Soar, lib. 5. de prædest.

dest. cap. 1. n. 1. P. Vassq. 1. p. q. 23. d. 3. in comment. P. Ruiz d. 2. sect. 2. n. 1. P. Herice tract. 3. d. 32. cap. 1. n. 3. P. Arrub. d. 87. cap. 1. n. 1. P. Tanner. d. 3. q. 7. dub. 1. n. 2. P. Proposit. q. 23. d. 8. n. 96. P. Granad. tract. 4. d. 2. n. 2. P. Arriaga d. 39. sect. 1. n. 1. P. Compton. tom. 1. d. 45. sect. 1. n. 1. P. Rhodex d. 5. q. 3. sect. 1. & alii. Probatur primò ex Scriptura ad Rom. 9 & Malach. 1. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et infra: *An non habet potestatem sigulus ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* Et 2. Tim. 2. *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, & quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam.* Et Matth. 13. *Sic erit in consummatione sæculi, exhibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in camino ignis.* Et cap. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, &c.*

Probatur secundò ex Concil. Valent sub Lothario cap. 3. ibi: *Fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & perditionem impiorum ad mortem; ergo &c.* Probatur tertio ratione, quia fides docet, quosdam periisse, atque damnatos esse; alios etiam perituros, & damnandos esse, non est dubium; sed nullus perit, neque peribit sine Dei reprobatione, sicut nullus felicitatem æternam consequitur sine Dei approbatione, & prædestinatione; ergo de fide est esse reprobationem in Deo.

Oppositum tenuerunt aliqui hæretici, qui etiam negant Prædestinationem Divinam: Argues 1. Scriptura Sap. 11 dicit de Deo: *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti;* si autem Deus aliquem reprobarer, illum odio haberet. Deinde Concil. Arausic. 2. can. 25. & Trid. sess. 6. cap. 17. damnant eos, qui dicunt, Deum prædestinare aliquem ad malum, sicut prædestinat ad bonum; ergo in Deo non datur destinatio ad malum, sive reprobatio. Respondeo cum D. Thom. ad illud Scripturæ, Deum omnia quidem diligere, in quantum omnibus vult aliquod bonum, non tamen quod omnibus velit omnia bona, sicque aliquibus non vult bonum salutis æternæ, & in quantum illud non vult, dicitur eos odio habere. Vel dic, Deum nullum odio habere, antequam videat ejus demerita, eos tamen odio habuisse post illa prævisa. Ad Concil. cit. dicimus, ea loqui de prædestinatione ad malum culpæ, non autem ad malum penæ, quod solum est terminus reprobationis: aut si de hoc etiam loquantur, loqui de prædestinatione positivâ ante prævisa demerita.

Argues 2. Idè in Deo admitteretur reprobatio, quia per illam manifestarentur Divina Misericordia in electis, Justitia in reprobis, & defectibilitas libertatis in hominibus; sed hæc omnia sine illa manifestarentur; siquidem in electis manifestaretur Misericordia ratione electionis gratuita; in impiis Justitia ratione punitionis temporalis; & defectibilitas libertatis ratione commissionis peccatorum; ergo non debet in Deo admitti. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus non inde perfectè manifestari; neque enim perfectè manifestaretur Misericordia in electis, quia perfectius manifestatur in electione eorum præ aliis; neque Justitia vindicativa in punitione temporali pro peccatis, quæ æternam merentur; neque defectibilitas libertatis, quia non deveniret ad impenitentiam finalem, & ultimam defectibilitatem ab ultimo fine.

Argues 3. Si in Deo daretur reprobatio, sequeretur; Primò, Christum Dominum non esse mor-

tuum pro omnibus; siquidem ejus mors reprobis non prodesset: Secundò, non offerri sufficienter omnibus salutem; siquidem reprobis deesset prædestinatio ad illam; sicque Deum esse personarum acceptorem; sed hæc non sunt admittenda; ergo neque illud ex quo sequuntur. Respondeo negando utramque sequelam: ad primam enim dicimus, Christum Dominum pro omnibus obtulisse suam mortem quoad sufficientiam, licet non ita quoad efficaciam, quam sic pro solis electis obtulit. Ad secundam dicimus, omnibus dari auxilia sufficientia ad salutem consequendam, quam si reprobi non assequuntur, solum est ex defectu libertatis, & cooperationis eorum, non autem Misericordiæ Divinæ, ideoque jam supra diximus prædestinationem non esse omninò necessariam ad salutem consequendam.

Argues 4. Si in Deo daretur reprobatio, sequeretur, dari contrarietatem in Voluntate Divina, & frustrari Providentiam divinam supernaturalem; siquidem illa vult omnes creaturas rationales in vitam æternam transmittere, volendo eas omnes salvas fieri; reprobatio autem non ita vult, imò e contra vult aliquas salvas non fieri, in quo providentia aberraret à fine supernaturaliter intento; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando majorem: solum enim datur contrarietas, quando respicitur idem objectum eodem modo consideratum, quod hic non fit; siquidem Deus solum per voluntatem simplicem vult omnes homines salvos fieri, considerando illos absolute, & secundum se sine demeritorum circumstantiis; quibus tamen jam prævisis, ex intentione manifestandi sua Attributa vult efficaciter, aliquos salvos non fieri, in quo eventu, cum variantur circumstantiæ actuum, & objectorum, nulla datur contrarietas, licet detur frustratio illius Voluntatis divinæ; neque enim id est aliquod inconveniens, cum talis voluntas sit inefficax; neque aliquis defectus arguitur in Deo, cum frustratio illa non sit ex defectu scientiæ, aut potentiæ in Deo, sed ex malitia, aut defectu cooperationis, & libertatis creatæ, cui Deus commisit determinationem, & reliquit in manu consilii sui.

Argues 5. Si in Deo daretur reprobatio, sequeretur, dari librum mortis reprobationi correspondentem; sicut datur liber vitæ prædestinationi correspondens; sed liber ille mortis non admittitur; ergo neque reprobatio. Respondeo negando sequelam; diversa ratio est, quia ex D. Thom. solum scribuntur in libro, qui eliguntur, non autem qui repudiuntur; & cum soli prædestinati eligantur, reprobi enim repudiuntur, idè soli illi, & non isti dicuntur scribi in libro; consequenterque dari librum vitæ prædestinationi correspondentem, non autem librum mortis correspondentem reprobationi. Deinde qui scribuntur in libro, idè scribuntur, ut ante oculos versentur, & de illis recordetur Deus; Deus autem de solis electis, & non de reprobis recordatur, ex illo Eccles. 39. 13. *Non recedet memoria ejus: ubi de electis.* Et ex illo Psal. 15. 4. *Nec memor ero nominum eorum:* ubi de reprobis; & solos electos, non autem reprobos præ oculis habet; ideoque reprobi potius dicuntur deleri de libro vitæ, quod idem est, atque amittere gratiam Dei finalem, imò & temporalem, ad quam extenditur ipsum deleri de libro vitæ.

Inferes: Ergo non poterit homo petere deleri de libro vitæ; cum tamen Moyses id postulaverit: Exod. 32. *Dele me de libro tuo:* & D. Paulus etiam postularit anathema esse pro fratribus suis: ad

Q q 3

Rom.

Rom. 9. Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis. Respondeo concedendo illationem, quia id esset petere amissionem gratiæ, quod nulli licet. Neque Moyses id postulavit, sed locutus est, aut per exaggerationem, aut de libro, in quo Viri illustres scribebantur. Et D. Paulus, si postulavit anathema esse, id est, ad inferos detrudi, id intelligebat conservando, non autem amittendo amicitiam, & gratiam Dei. Hæc interim, infra enim latius de hac re.

72. Difficultas 3. Utrum reprobatio fuerit in Deo absolute, & simpliciter necessaria: aut saltem aliquo modo conveniens? Dico 1. Reprobatio non fuit in Deo absolute, & simpliciter necessaria. Ita P. Ruiz d. 2. sect. 2. n. 3. & alii. Probatur primò, quia reprobatio, ut infra dicemus, est actus Dei liber; sed quod est liberum potest non esse; quod autem potest non esse, non est absolute, & simpliciter necessarium; ergo &c. Secundò, quia Deus potuit nullam creaturam creare: omnes homines, & Angelos in gratia perpetuò conservare: homines in statu naturæ lapsæ ad gloriam perducere, eos majoribus, & magis copiosis illustrationibus, & auxiliis invitans, protegens, & ad gloriam perducens; sed in his eventibus nullus esset reprobationi locus; ergo &c. Confirmatur ex D. August. lib. de prædest. Sanctor. cap. 8. ibi: Cur non omnes docet, ut veniant ad Christum, nisi quia omnes, quos docet, misericordia docet: quos autem non docet, iudicio non docet; quoniam cuius vult, miseretur, & quem vult obdurat: ex quo patet reprobationem non necessariò, sed liberè Deo evenire; ergo &c.

73. Dico 2. Reprobatio fuit in Deo quodammodo necessaria quoad aliquos. Ita P. Ruiz cit. n. 6. Probatur primò, quia Voluntas Divina infallibiliter eligit optimum modum providendi; sed hic requirit aliquorum reprobationem: Primò, ut appareat Universi varietas: Secundò, ut magis exerceatur hominum libertas, & providentiæ suavitatis juxta rerum naturas: Tertiò, ut experientia doceat evidentiùs, quàm debiles sint naturæ vires, & quanta gratiæ necessitas: Quartò, ut magis eluceret beneficium prædestinationis cum miserià reprobationis collatum: Quintò ob multa bona, quæ Deus colligit ex permissione peccatorum, & perditione reproborum; ergo &c.

74. Probatur secundò, quia Deus est supremus Iudex; sed supremum Iudicem decet, non omnia peccata remittere, sed aliqua extremo, ac æterno supplicio punire; ergo &c. Confirmatur primò, quia sic prædestinati terrore Iustitiæ, aut à peccatis se continent, aut ab illis respiciunt. Secundò, quia sic in hac punitione ostenditur divina Iustitia, Sapientia, & potentia juxta illud Rom. 9. ibi: Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam; ergo &c.

75. Difficultas 4. Utrum reprobatio fuerit in Deo propriè, & non solum metaphoricè? Affirmativè. Ita P. Soar. lib. 5. de prædest. cap. 1. n. 4. P. Ruiz d. 2. sect. 3. n. 3. P. Tanner. d. 3. q. 7. dub. 1. num. 2. & alii. Probatur primò, quia reprobatio, ut infra dicemus, est actus Intellectus, & Voluntatis Divinæ, Deo intrinsecus, in eo immanens ab æterno, & ab eo indistinctus, cum sit ipse Deus; ergo est in Deo verè, & propriè, & non metaphoricè. Secundò, quia reprobatio, ut infra dicemus, suos habet effectus, qui propriissimè sunt à Deo, & illius providentiæ; sed non possunt sic esse à Deo, quin supponant aliquam cognitionem, & voluntatem propriam in Deo, à qua procedant: cum hoc sit de necessitate omnium effectuum Dei; alioqui

Deus non liberè, sed necessariò, & modo cæco operaretur; ergo &c. Confirmatur, quia reprobationem esse propriè in Deo nullam involvit imperfectionem, imò ad illius perfectionem pertinet; ergo &c.

Dices cum Aureolo in 1. dist. 41. art. 3. proposit. 4. Reprobatio importat odium, detestationem, abominationem, & actus similes; sed hi actus non sunt in Deo propriè, sed tantum metaphoricè; ergo &c. Respondeo negando minorem; sunt enim actus propriissimi Intellectus, & Voluntatis; siquidem applicant in tempore Omnipotentiam ad producendos proprios, & rigorosos effectus in reprobo; talis autem applicatio stare nequit sine cognitione, & volitione propria in Deo; alioqui imperfecta esset operatio Dei, ut diximus.

## SECTIO II.

### Qualis sit reprobationis definitio; & in quo formaliter consistat?



DIFFICULTAS 1. Utrum reprobatio sit actus Dei intrinsecus, immanens, liber, & æternus? Affirmativè. Ita P. Soar. cit. n. 5. P. Ruiz cit. à n. 7. P. Tanner. cit. num. 2. & alii. Probatur

prima pars, quia talis actus est ab æterno; sed ab æterno nihil est in Deo, quod non sit ei intrinsecus; ergo &c. Probatur secunda pars, quia reprobatio, ut infra dicemus, est actus Intellectus, & Voluntatis divinæ; sed huiusmodi actus sunt immanentes in Deo; ergo &c. Probatur tertia pars, quia reprobatio, ut diximus, absolute loquendo poterat non esse in Deo; siquidem Deus poterat res ita disponere, ut nullus damnetur; ergo liberè fuit in Deo. Probatur quarta pars, quia quidquid Deus exequitur in tempore, voluit ab æterno; alioqui mutaretur Deus; sed Deus in tempore aliquos reprobavit; ergo ab æterno fuit in Deo reprobatio. Vide supra d. 2. à n. 39.

Reprobatio optimè definitur: *Exclusio alicujus à regno, & ejus deputatio ad ignem æternum*: hoc autem accommodari potest tam actui Intellectus, quàm Voluntatis; siquidem, cum reprobatio probationi opponatur, & nos per iudicium aliquid primò approbemus, cum de illius bonitate judicamus, etiam primò aliquid per iudicium reprobamus, cum de illo aliter, quàm de bono judicamus. Deindè etiam per voluntatem dicimus approbare aliquid, cum illud ut bonum eligimus; & contra dicimus reprobare, cum oppositum illi electioni nolumus; sicque hoc modo reprobatio mali opponitur electioni boni, juxta illud, Isai. 7. ibi: Ut sciat reprobare malum, & eligere bonum. Undè sit:

Difficultas 2. Utrum reprobatio consistat formaliter in utroque actu, & intellectu, & voluntatis? Affirmativè. Ita P. Soar. lib. 5. de prædest. cap. 4. num. 11. P. Molin. 1. p. q. 23. art. 3. P. Valent. ibid. punct. 1. P. Arrub. d. 88. cap. 5. n. 17. P. Herice tract. 3. d. 32. cap. 2. n. 8. P. Alarcon. tract. 4. d. 5. cap. 1. num. 4. P. Rhodex d. 5. q. 3. sect. 1. & alii. Probatur primò ex supra dictis de prædestinatione d. 2. à n. 62. est enim eadem ratio de prædestinatione, ac de reprobatione.

Probatur secundò, qui res per id formaliter constituitur, & in eo formaliter consistit, sine quo

quo non potest formaliter intelligi; sed reprobatio non intelligitur sine actu Intellectus, & Voluntatis divinae; ergo in utroque formaliter consistit. Probatur minor, quia saltem ordinario, & modo perfecto operandi, non datur in Deo voluntas deputans hominem propter sua demerita ad ignem aeternum, quin supponatur Judicium dictans hic, & nunc, talem hominem esse dignum, ut a regno excludatur, & puniatur poena aeterna; & posito tali Judicio, quin ulterius detur illa voluntas decernens, & deputans, adhuc talis poena non est futura, neque homo dicitur damnatus; siquidem adhuc Deus de potentia absoluta poterit ipsum hominem non damnare; ergo ut dicatur damnatus, & reprobatus requiritur uterque actus; consequenterque reprobatio in utroque illo actu formaliter consistit. Confirmatur, quia in hac sententia melius conciliantur loca tum Scripturae, tum Sanctorum Patrum, quatenus alia loquuntur de actibus Intellectus, alia verò de actibus voluntatis; possunt enim singula intelligi de reprobatione inadeguata.

11. Oppositum tenent Durand. in 1. dist. 40. q. 2. D. Thom. 1. p. q. 23. art. 2. & 3. P. Tanner. d. 3. q. 7. dub. 1. n. 3. P. Praeposit. q. 23. art. 8. dub. 1. de Reprobatione. n. 98. & alii: pro quibus: Obijcies 1. Ideò praedestinationis consistit etiam in actu voluntatis, quia intendit finem, & praeparat media; sed non ita intendit, neque praeparat reprobatio; solum enim praescit, ideoque reprobi dicuntur praesciti; ergo in sola praescientia, sive actu Intellectus consistit. Respondeo argumentum solum probare, non dari reprobationem positivam, (de qua hic loquimur) in intentione ante praevia demerita, sicut ante praevia merita datur praedestinationis; non tamen probare, quod praevia ipsis demeritis, praeter illud judicium practicum, non sit etiam necessaria voluntas excludens a regno, & ad poenam deputans, ut probavimus, & sicut in praedestinatione est necessaria voluntas acceptans ad ipsum regnum, & exequens, nam sicut hic solum judicium non acceptaret, ita etiam illuc solum judicium non excluderet.

12. Obijcies 2. Reprobatio secundum se solum dicit negationem voluntatis dandi gloriam, & non voluntatem ipsam positivè excludentem a regno, ut constat, tum ab Scriptura Matth. 18. ibi: *Non est voluntas ante Patrem vestrum, ut pereat unus de pusillis istis*: tum ratione, siquidem ex eo, quod Deus non velit alicui gloriam, virtute cum ab illa excludit sine alia voluntate positiva excludente; consequenterque sine tali voluntate datur reprobatio, cum excludere a regno sit reprobare; ergo reprobatio non consistit formaliter in actu voluntatis, sed in solo actu Intellectus.

13. Respondeo negando antecedens, ad cujus primam probationem dicimus, Scripturam saepe uti termino negativo pro contrario positivo, quod hic etiam facere colligitur, quia saepe alibi explicat reprobationem per actum positivum. Vel dic, ibi significare, Deum non habuisse illam voluntatem positivam excludentem a regno ante praevia demerita. Ad secundam probationem dicimus, solum probare de reprobatione negativa, sive non electione, de qua an fiat per puram actus suspensionem infra dicemus.

14. Difficultas 3. Qualemnam sint huiusmodi actus, & qualemnam Scientiam supponant? Dico 1. Huiusmodi actus ex parte intellectus est judicium practicum dictans convenire hic, & nunc deputare impium ad poenam aeternam: & ex parte vo-

luntatis est actus positivè excludens ipsum reprobum a gloria, & eum deputans ad poenam. Patet ex dictis de praedestinatione supra d. 2. à num. 75. praedestinationis enim ex parte intellectus consistit formaliter in judicio practico dictante convenire hic, & nunc eligere talem hominem ad gloriam; & ex parte voluntatis in actu illum ad gloriam eligente. Idem, quod dicimus de reprobatione positivà, dicendum est de negativa; quae ex parte intellectus erit judicium practicum immediate inserviens decreto negativo electionis efficacis ad gratiam, & ad gloriam; & ex parte voluntatis erit ipsum decretum negativum talis electionis.

25. Dico 2. Huiusmodi actus supponunt Scientiam Simplicis Intelligentiae, imò & Scientiam Conditionatam de demeritis, & de poena subeunda: itemque voluntatem permissivam peccati, & Scientiam visionis de demeritis. Patent haec omnia ex supra dictis de praedestinatione, quae hic repetere opus non est. Vide d. 2. à n. 129.

26. Difficultas 4. Utrum reprobatio sit pars providentiae: & an detur reprobatio per modum intentionis distincta à reprobatione per modum executionis? Dico 1. Reprobatio est pars providentiae. Ita P. Soar. lib. 5. de praedest. cap. 2. n. 5. cum D. Thom. 1. p. q. 23. art. 3. P. Tanner. d. 3. q. 7. dub. 1. n. 5. & alii. Probatur, quia ad bonum, & justum provisorum spectat, non solum remunerare bonos, sed etiam punire malos; quorum primum est effectus praedestinationis; secundum autem reprobationis; ergo &c.

27. Dico 2. Reprobatio est pars providentiae supernaturalis. Probatur primò, quia effectus reprobationis non pauci sunt entitativè supernaturales, licet reprobis eos convertat in occasiones gravius peccandi, & longius recedendi à fine supernaturali; sed providentia causans effectus entitativè supernaturales, non potest non esse supernaturalis: ergo talis est reprobatio, prout est pars providentiae.

28. Probatur secundò, quia reprobatio non sinit, tanquam in ultimo fine in punitione damnatorum, sed potius per praedestinationem ordinatur ad majorem gloriam praedestinatorum, & maxime Christi Domini, ut patet ex illis Rom. 9. 11. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum istis, qui secundum propositum vocati sunt Sancti*. Et ex D. Aug. lib. 11. de Gener. ad litter. cap. 7. *Num quia praesciti sunt, ideo creati minime debuerunt? Habent enim & ipsi locum suum, quem in rebus impleant pro utilitatibus Sanctorum*; haec autem stare non possunt, quin ipsa reprobatio spectet ad providentiam supernaturalem; ergo &c.

29. Dico 3. Non datur reprobatio per modum intentionis distincta à reprobatione per modum executionis. Probatur primò ex supra dictis de praedestinatione d. 2. à n. 166. Probatur secundò à simili, quia idem actus, per quem Deus post praevia demerita intendit ab aeterno excludere reprobum a regno, & deputare ad poenam aeternam, potuit postea in tempore exequi applicando ad id Omnipotentiam propter rationes supra factas; ergo &c. Utrum autem de possibili potuerint dari duo decreta distincta? Nulla est in hoc repugnantia, sicut diximus de praedestinatione d. 2.

30. Difficultas 5. Qualemnam sit objectum reprobationis? Dico 1. Objectum formale reprobationis est ipse Deus in quantum est verus, & ratio formalis sub qua est summa veritas. Probatur, quia reprobatio, ut diximus, saltem inadeguatè est actus Intellectus divini; sed Intellectus, &

Judicium

Judicium divinum non potest habere aliud obiectum formale præter ipsum Deum; ergo &c.

31. Dico 2. Obiectum materiale reprobationis sunt homines, & Angeli damnandi, & omnes illorum qualitates, & circumstantiæ, sive naturales, sive supernaturales, quæ conducunt ad permittenda eorum peccata, eorum obdurationem finalem, & punitionem: imò & ipsa peccata, non ut caufanda, sed ordinanda. Probatur, quia circa hæc omnia versatur reprobatio; ergo &c.

### SECTIO III.

#### Qualis-nam sit Reprobationis divisio?

32. **D**IFFICULTAS I. Utrum Reprobatio optime dividatur in negativam, & positivam? Affirmativè. Ita *Magist. in 1. dist. 41. D. Thom. 1. p. q. 23. a. 3. & ad 1. & 2. Richard. in 1. dist. 40. & 41. Scot. in 1. dist. 41. q. unica, S. Contra istud. & dist. 47. q. unica. Bassol. dist. 41. q. unica a. 4. Tartaret dist. 41. quest. unica. Lycher. Major dist. 41. q. 4. Cordub. lib. quest. 56. opinion. 5. P. Bellarm. lib. 2. de grat. cap. 16. P. Soar. lib. 5. de prædest. cap. 4. n. 4. & cap. 5. n. 5. P. Vafq. 1. p. d. 95. cap. 2. n. 7. quos citat, & sequitur P. Tanner. d. 3. q. 7. dub. 1. a. num. 6. Est Theologorum communis; communiter enim admittunt in Deo reprobationem negativam, quæ est negatio electionis ad gloriam; positivam autem, quæ est damnatio ad poenam æternam, nullus dubitat dari in Deo, cum sit de fide, ut supra probavimus à n. 4. de negativa verò sic:*

33. Probatur, quia Deus in eo signo, quo prædestinatos elegit ad gloriam, neque habuit voluntatem efficacem eligendi alios, neque positivam excludendi illos à regno; ergo habuit negationem horum actuum; sed hæc est reprobatio negativa; ergo illam tunc habuit Deus. Confirmatur primò in Angelis, quia in eo priori, in quo Deus elegit Angelos salvandos, non habuit voluntatem positivam excludendi alios; siquidem adhuc non erant mali per peccatum; ergo habuit illam negationem, sive reprobationem negativam. Confirmatur secundò ex prædestinatione, quia, ut supra diximus, prædestinatio est simul electio, & electio præ aliis; sed talis electio aliquorum præ aliis involvit negationem electionis illorum, in qua consistit eorum reprobatio negativa; ergo &c.

34. Dices 1. Voluntas Divina non potuit manere suspensa sine aliquo actu circa aliquod obiectum; siquidem hoc dicit imperfectionem, & indeliberationem, ut alibi demonstravimus; sed ita maneret, si haberet illam reprobationem negativam circa reprobos, & illos statim non excluderet per actum aliquem positivum; ergo &c. Respondeo majorem esse veram de duratione reali; nam Deus ab æterno omnia voluit, aut noluit actu positivo: aliter tamen dicendum si loquamur de aliquo signo rationis; nam in hoc potuit Misericordia antecedenter sine ulla imperfectione operari circa eligendos, adhuc nihil operante Justitia circa reprobos, quia adhuc non videbantur eorum demerita in esse absoluto. Ita P. Soar. cit. cap. 4. n. 4.

35. Dices 2. Reprobatio, cum opponatur infallibili prædestinationi, ut infra dicemus, debet esse infallibilis; sed talis esse non potest negatio illa electionis; siquidem ut talis esset, deberet Deum obligare ad negandum auxilium congruum finale,

permittendumque finale peccatum, cum tamen ita non obliget; siquidem adhuc, illa posita, potuit Deus in secundo signo, quos vellet, efficaciter eligere; ergo &c. Respondeo ad majorem, debere quidem reprobationem esse infallibilem de lege ordinaria, & ita fuisse, ut ex infra dicendis constabit: quo tamen non obstante, potuit Deus de potentia absoluta in secundo signo eligere quos vellet ex reprobatis, quod tamen esset per speciale privilegium, saltem tacite, ac virtute in primo signo involutum conditionate.

Difficultas 2. Utrum negatio illa, quam dicimus reprobationem negativam, fuerit in Deo pura suspensio actus? Negativè. Ita P. Soar. cit. cap. 4. n. 5. P. Vafq. 1. p. d. 95. cap. 2. n. 9. P. Tanner. d. 3. q. 7. dub. 1. n. 18. & alii. Probatur primò, quia si esset pura suspensio actus, solum esset indirecte, virtute, & interpretativè voluntaria; siquidem cum Deus haberet advertentiam, posset positivè velle ipsam negationem per voluntatem formalem, ac directam, quam tamen non ita vellet; sed voluntarium indirectum, & interpretativum, quando formale, & directum haberi potest, arguit imperfectionem in Deo non admittendam; ergo &c.

Probatur secundò, quia, ut aliqui dicunt, reprobatio divina includit voluntatem permissivam peccati, quæ positiva est; sed hoc non potest intelligi, nisi de reprobatione negativa; siquidem reprobatio positiva supponit peccatum, & ante illud supponit etiam ipsam permissionem peccati; ergo jam reprobatio negativa includit actum positivum; consequenterque non est pura suspensio actus. Unde:

Advertes, Deum tunc ita se habere, ac si diceret: *Hos nolo modo eligere, neque reprobare positivè, sed volo suspendere actum circa illos: quæ volitione posita, adhuc, si vellet, posset postea in secundo signo eos eligere: tum quia illa volitio solum eum obligabat ad non eligendum pro eo primo signo, & non pro secundo: tum etiam, quia talis volitio secum ferebat tacitam illam conditionem: nisi in secundo signo velim eos eligere.*

Oppositum tenent aliqui dicentes, Deum in primo, & secundo signo, in quo voluit prædestinatis gloriam ut finem, & gratiam ut medium, habuisse se merè negativè circa reprobos, id est per puram actus suspensionem, citantque pro hac parte Scot. in 1. dist. 41. circa finem, licet P. Soar. & P. Tanner. cit. illum dicant contrarium asserere in 1. dist. 47. pro illis tamen. Argues 1. Si negatio illa secum ferret actum positivum, non bene diceretur reprobatio negativa: tum quia denominatio sumitur à potiori parte, quæ esset actus positivus: tum etiam, quia cum negatio sit malignantis naturæ, videtur negare omnem actum positivum; sed hoc est falsum, & contra id, quod asserimus, illam enim diximus esse negativam; ergo &c.

Respondeo negando majorem, ad cujus probationes dicimus, reprobationem sumi directè in ordine ad reprobos, cum autem circa illos nullus in eo signo detur actus positivus, sed mera negatio, ideo tota reprobatio dicitur negativa, ad quod parum refert, quod ipsa negatio sit in se positivè volita, quia hoc non erat absolute necessarium ad talem reprobationem, sed tantum ex perfectione Dei operantis, ut diximus; sicque talis actus solummodò requiritur indirectè, & veluti per accidens in ordine ad effectum reprobandi secundum se, & absolute sumptum. Accedit, quod talis

talis reprobatio communiter dicitur negativa; quatenus non est approbatio, sive prædestinatio positiva.

<sup>45</sup> Infrabis: Si reprobatio est negativa quatenus non est prædestinatio positiva, etiam quatenus non est reprobatio positiva, erit prædestinatio negativa; sed hoc non admittitur; ergo neque illud. Respondeo negando maiorem; diversa ratio est, quia prædestinatio, cum sit bonum, debet esse ex integra causa, nempe ex positiva electione; sicque non sufficit, quod non detur reprobatio positiva, ut dicamus dari prædestinationem negativam: at verò reprobatio cum sit malum; malum autem sit ex quocumque defectu, sufficit quicumque defectus, nempe quod homo non sit electus. Accedit, quod illa non electio de lege ordinaria defert conjunctionem negationem auxilii efficacis; siquidem Deus in eo signo jam videbat, se non daturum tale auxilium non electis; cum tali autem negatione bene stat reprobatio, saltem negativa; non ita tamen prædestinatio etiam negativa, quia ad hanc deberet Deus, saltem non habere positivam illam negationem dandi auxilium efficacem, sed habere se ad minus præcivisse.

<sup>46</sup> Argues 2. Deus non poterat velle negationem auxilii congrui; siquidem hoc esset velle, quod ipsum auxilium non esset congruum, & cum fiat congruum per cooperationem hominis, vellet etiam, quod homo non cooperaretur, & cum non cooperari in rebus præceptis sit peccatum, vellet etiam ipsum peccatum; sed hoc repugnat Deo; ergo &c. Respondeo negando maiorem, ad cuius probationem dicimus, aliud esse velle auxilium non congruum, & aliud velle auxilium non esse congruum; hoc secundum repugnat Deo, quia esset velle peccatum, ut probat argumentum; non ita tamen repugnat illud primum, quia solum est velle auxilium, quod de se est sufficiens, licet Deus per Scientiam Mediam illud prævideat ut non congruum ex hominum malitia.

<sup>47</sup> Difficultas 3. Utrum ex reprobatione negativa sequatur infallibiliter reprobatio positiva? Affirmative. Probatur, nam ex eo, quod Deus per actum positivum dicat: *Nolo eligere Judam ad gloriam*; saltem virtute dicit: *nolo Judam dare auxilium congruum finale*; sed ex hac negatione sequitur infallibiliter demeritum, & ex demerito infallibiliter sequitur reprobatio positiva; ergo &c. Confirmatur, quia ex electione efficaci ad gloriam sequitur infallibiliter positiva executio ipsius gloriæ; siquidem sequitur donatio auxiliorum efficacium, per quæ ipsa gloria infallibiliter obtinetur; ergo similiter ex illa negatione electionis efficacis ad gloriam infallibiliter sequitur reprobatio positiva; siquidem ex illa negatione auxiliorum efficacium sequuntur infallibiliter demerita, per quæ ponitur reprobatio positiva.

<sup>48</sup> Difficultas 4. Qualis nam actus sit reprobatio positiva, & negativa, & qualiter inter se conveniant, & prædestinationi opponantur? Dico 1. Reprobatio positiva est actus Iustitiæ punitivæ; negativa autem non ita, sed occulti Iudicii Dei, & inscrutabilis Providentiæ. Est communis Doctorum cum D. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 13. Probatur, quia reprobatio positiva, cum fiat ob demerita reprobi, ad illam spectat illatio vindictæ, seu pœnæ pro peccatis infligendæ, quæ est in Deo actio Iustitiæ vindicativæ; negativa autem reprobatio, cum non habeat causam ex parte reprobi, fit ex arbitratu Dei, non injusto quidem, sed occulto iudicio; ergo &c.

Tom. I.

Dico 2. Reprobatio positiva, & negativa non conveniunt univocè. Probatur primo, quia ad ens, & negationem entis nihil datur univocum; sed reprobatio positiva est ens; negativa autem est negatio entis, ut patet ex dictis; ergo &c. Secundò, quia ad simpliciter, & secundum quid non datur univocum; sed reprobatio positiva est reprobatio simpliciter; negativa autem reprobatio à gloria est tantum secundum quid; siquidem adhuc ea supposita, est locus prædestinationi pro secundo signo, ut supra diximus; ergo &c.

<sup>49</sup> Dico 3. Reprobatio positiva opponitur prædestinationi oppositione contrariâ; negativa autem oppositione contradictoriâ. Ita P. Soar. P. Vasq. quos citat, & sequitur P. Tanner. d. 3. q. 7. dub. 1. num. 1. Probatur prima pars, quia prædestinatio declaratur per actum intellectus, quo Deus ab æterno efficaciter decrevit aliquibus conferre gloriam, & per actum voluntatis, quo aliquibus sic voluit gloriam, & gratiam conferre: reprobatio autem positiva è contrario; siquidem ex parte voluntatis est actus, quo Deus dicit: *Nolo hunc, aut illum admittere ad gloriam, aut gratiam congruam*; & ex parte intellectus est actus, quo dicit: *Decerno, & statuo, ut hic non admittatur ad gloriam, aut ad gratiam congruam*; sed inter hos actus solum datur oppositio contrariâ, ut patet, cum sit inter entitates positivas; ergo &c. Probatur secunda pars, quia reprobatio negativa per se, & formaliter solum est negatio actus præelectionis, seu prædestinationis divinæ, tum ad gloriam, tum ad gratiam; ergo non potest aliter prædestinationi opponi, quàm contradictoriè, cum sit oppositio inter negationem, & formam negatam.

## SECTIO IV.

### Qualiter fuerit in Deo Reprobatio positiva?



<sup>47</sup> Dico 1. Deus ante Scientiam Conditionatam demeritorum non potuit aliquem reprobare positivâ reprobatione. Probatur ex supra dictis de prædestinatione d. 2. à n. 131. Siquidem tolleretur omnino libertas ad non amittendam gloriam, & ad non subeundas pœnas, ut pœnas; cum tamen id Deus posuerit in potestate liberi arbitrii; ergo &c. Dixi pœnas, ut pœnas, quia dolores illi, quatenus non sunt ad puniendum peccatum, sed ob alios fines, in multorum opinione bene poterant à Deo amari, & intendi ante omnem scientiam etiam conditionatam demeritorum; quia, ut dicunt, nulla in hoc apparet implicantiâ. De hoc tamen jam supra diximus, & alibi dicemus.

<sup>48</sup> Dico 2. Positâ solâ scientiâ conditionatâ demeritorum, bene poterat dari Voluntas Dei efficax excludens à regno, & deputans ad pœnam æternam, si non repugnaret Bonitati Divinæ. Probatur prima pars primò ex supra dictis de prædestinatione d. 2. à num. 242. Secundò, Ideò Deus non posset, prout sic excludere à regno, & deputare ad pœnam, quia tolleretur libertas, & ratio pœnæ in aliquo sensu; sed neque illa, neque ista tolleretur; ergo &c. Probatur minor quoad primam partem, quia Deus absque læsione libertatis, ut diximus, potuit intendere efficaciter gloriam, & postea præparare auxilia, quæ per Scientiam Mediam prævidebantur efficacia, ut illa in effectu obtineretur; ergo etiam poterat in proposito eventum intendere efficaciter.

R r

efficaciter

efficaciter reprobationem, & postea preparare auxilia, quæ per Scientiam Mediam prævidebantur solum sufficientia, ut illa in effectu sequeretur, quin tolleretur libertatem, aut vellet positivè ipsam peccatum, ut supra diximus de prædefinitione penitentia.

49. Probatur minor quoad secundam partem, quia sicut Deus, ut diximus, potuit intendere præmium ante absolutam præscientiam meritorum, tradendum tamen per merita; ita etiam poterat amare penam ante absolutam præscientiam demeritorum, exequendam tamen per demerita; sed illic ex parte actus fuit Misericordia Dei, & ex parte objecti fuit venditio virtualis ipsius præmii, nempe gloria tendens ad venditionem formalem post meritum; ergo etiam hic ex parte actus esset offensio libertatis, aut Domini divini, & ex parte objecti esset punitio virtualis tendens ad punitionem formalem post demerita, quatenus Deus intenderet non exequi, nisi post demerita; consequenterque non tolleretur ratio penæ.

50. Probatur secunda pars cum P. Arriaga d. 39. sect. 2. subsect. 1. n. 9. quia id esset alienum ab infinita Dei bonitate, & Misericordia; siquidem Deus ex se movetur ad beneficiendum, & non ad puniendum antecedenter ad nostra peccata, quasi nos ad talem finem crearet, & exequendi occasiones quæreretur; ergo &c. Addit P. Arriaga probabile sibi videri, non posse Deum, etiam de potentia absoluta deputare hominem æternis cruciatibus sine ulla illius culpa, solo titulo supremi domini, etiam excludendo rationem penæ; siquidem id videretur habere multum crudelitatis. Et probat exemplo in eo, qui ut suum ostenderet dominium in canem, illum vellet quotidie semi urere igne; de hoc tamen alibi.

51. Dico 3. Deus de facto neminem voluit positivè excludere à regno, & ad penam æternam deputare ante absolutam præscientiam peccati finalis. Ita P. Soar lib. 5. cap. 3. n. 6. P. Vāsq. d. 95. cap. 4. n. 17. Tanner. d. 3. q. 7. dub. 3. n. 27. P. Arriaga d. 39. sect. 2. subsect. 3. per totam. P. Amicus d. 16. sect. 2. n. 43. & alii infra citandi n. 107. Probatur 1. ex illo Sapient. 1. ibi: Deus mortem non fecit, nec deletur in perditione vivorum; sed si Deus damnaret homines ante eorum demerita absolutè prævisa, meriti dici posset, fecisse mortem, & deletari in eorum perditione; ergo &c.

52. Probatur secundo ex Conciliis Valentin. cap. 3. ibi: In electione tamen salvandorum Misericordiam Dei præcedere meritum, in damnatione verò meritum malum præcedere justum iudicium Dei. Trid. Sess. 6. cap. 13. ex D. Aug. lib. de natur. & grat. cap. 26. & lib. de bono persevere. cap. 6. ibi: Voluntate suā quisque deserit Deum, ut meriti de feratur à Deo. Et D. Prosper. ad 7. object. Vincent. Deus, inquit, priusquam deferatur, neminem deserit. Et D. Bern. lib. de Anima cap. 7. Non deserit, ait, sperantem in se, nisi prius ipse deferatur. Idem habent D. Cypr. de orat. Domin. D. Fulgen. lib. 1. ad Monim. cap. 13. & alii Sancti Patres, ut infra videbimus, cum de causis reprobationis positivæ egerimus, ex quibus constat, Deum neminem positivè de facto reprobasse ante demerita absolutè prævisa.

53. Probatur tertio rationibus: Prima, quia illa voluntas Dei generalis salvandi omnes, cum sit quasi conditionalis, nisi per illos steterit, deserit conjunctionem negationem perdendi illos, dum per illos non stat; sed per illos non stat, quamdiu non ponunt demerita in esse absoluto; siquidem demerita in esse condicionali non sunt digna supplicio,

ut supra diximus; sicut etiam merita conditionata in ipso reprobo non sunt digna præmio; ergo quamdiu non ponuntur in esse absoluto ipsa demerita, non habet Deus voluntatem positivam dammandi illos; alioqui haberet duas volitiones contrarias, imò & contradictorias, quod non est dicendum; ergo neque quod Deus sic reprobaverit ante demerita.

Secunda, quia si Deus haberet illam voluntatem positivam excludendi aliquos à regno ante demerita; aut id vellet solā potentiā, sive jure domini; aut ex iustitiā vindictivā, & punitivā: Non primum; alioqui quamvis homines non peccarent, adhuc à regno excluderentur; quod tamen repugnat divinæ Bonitati, & Misericordiae: Non secundum; siquidem iustitia punitiva postulat dignitatem ex parte objecti, sive hominis puniendi; homo autem non habet talem dignitatem ad punitionem, nisi per peccatum in esse absoluto; ergo &c.

Tertia, quia quando voluntas fertur in aliquod objectum, etiam per solum affectum simplicem, non potest circa illud elicere actum contrarium efficacem, nisi ei adveniat aliqua ratio motiva extrinseca; sic enim mercator, qui amat merces, ut eliciat voluntatem efficacem projiciendi illas in mare, debet prius subire periculum vitæ, adveniente tempestate; sed Deus amabat omnium hominum salutem affectu simplici, ut supra diximus; ergo ut circa illos eliceret voluntatem efficacem perdendi eos, debebat aliquid de novo advenire; hoc erant eorum demerita; ergo illos non reprobavit efficaciter, sive positivè ante eorum demerita absolutè prævisa.

Oppositum tenent aliqui dicentes, Deum ex se ipso ante omnia demerita absolutè prævisa habuisse voluntatem perdendi aliquos per modum intentionis ad ostendendam suam Justitiam, ex qua intentione secuta fuit negatio auxiliorum efficacium: sicut habuit ex se intentionem salvandi alios ante omnia merita absolutè prævisa ad ostendendam suam Misericordiam, ex qua intentione secuta fuit donatio auxiliorum efficacium. Ita Durand. in 1. dist. 40. q. 2. n. 6. Cordub. lib. 1. quest. q. 56. notat. 2. opin. 5. Bannez. 1. p. hic art. 3. Zúmel. ibid. d. 4. Alvarez de Auxil. d. 110. & Recentiores Thomistæ; eamque sententiam maximè amplexi sunt hæretici hujus temporis, præsertim Calvin. Beza Sirvand. Libert. contra quos infra: pro illis nunc tamen:

Objicies 1. Sapient. 12. ibi: Ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnas, & exterum æstimas à tua virtute: ubi videtur loqui de condemnatione facta per modum intentionis ante demerita absolutè prævisa, cum dicat, punire illum, qui non debet, id est, qui non meretur puniri; ergo &c. Respondeo cum P. Arriaga, locum illum fuisse vitiatum, ut constat ex codice emendato à Pio V. in quo nunc legimus: Ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas à tua virtute: secundum quam veritatem potius facit pro nostra sententia. Adde, licet standum esset pro lectione antiqua, dicendum esse, ibi loqui de punitione, ac calamitate temporali, quā Deus sæpius etiam justos affligit, ut postea magis remuneret; non autem de punitione æterna.

Objicies 2. Rom. 9. ibi: Cum non dum aliquid boni egissent, aut mali ..... Jacob dilexi, Esau autem odio habui: ubi allegoricè de electione, & reprobatione sermo est, prout supra diximus; sed ex hoc loco collegimus, electionem fuisse factam ante

ante merita absolutè prævisa; ergo etiam ex eodem colligitur, reprobationem fuisse factam ante demerita absolutè prævisa. Respondeo primò cum Lezana, & aliis, ibi non esse sermonem de reprobatione positivà, sed tantum negativà, quæ fuit ante demerita. Undè nomine *odii* solum ibi intelligitur de minore amore; sæpè enim in Scriptura *odium*, aut *odisse*, non significant actum positivum odii, sed negativum, sive minorem amorem, ut patet ex illo Luc. 14. *Et non odit patrem suum, &c.* quod idem valet, atque dicere, qui non minùs diligit patrem suum, quàm me; neque enim Christus Dominus præcepit odio habere patrem. De hac etiam reprobatione negativa intelligendi sunt Patres, quatenùs asserunt, non dari causam reprobationis ex parte reprobi, sed totam Deo tribui: de hoc tamen latius infra.

59. Respondeo secundò cum P. Arriaga, & aliis, ibi non significari, Deum odio habuisse Esau positivè, sed non decrevisse dare ei auxilia congrua, sicut decrevit dare Jacob: sicut enim Deus ex se illa tribuit electis ante eorum merita, ita ex se illa negat reprobis ante eorum demerita; neque de hoc procedit quæstio, neque est difficultas, sed tantum de reprobatione positivà, ac exclusione à regno, sive à gloria.

60. Obijcies 3. Rom. 9. D. Paul. nomine Dei ibi loquens de Pharaone: *In hoc ipsum, inquit, excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam*: ubi videtur significare, se illum reprobasse veluti in intentione, non quia jam malè fuisset operatus, sed ut postea malè operando in executione, in illo Deus ostenderet potentiam suam; ergo &c. Respondeo hoc testimonium non convincere; siquidem non ostendit, iram Dei fuisse ante demerita, imò post illa, ut constat ex sequentibus verbis: *Sustinuit, inquit, in multa patientia vasa iræ, &c.*

61. Obijcies 4. Primus actus prædestinationis fuit positivà electio ad gloriam ante prævisa merita; ergo etiam primus actus reprobationis erit exclusio positivà à gloria ante prævisa demerita. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia illa electio maximè decet Bonitatem, & Misericordiam divinam, ut supra diximus: at verò non ita decet, imò dedecet hæc exclusio, non solum Bonitatem, & Misericordiam, sed etiam Justitiam divinam; nam sicut est laudabile punire in executione crimina jam commissa, & non ante; ita etiam laudabile non erit, imò indecorum intendere illa punire, antequam committantur, & videantur in esse absoluto.

62. Instabis: Prædestinatio, & reprobatio, cum sint partes æquæ subjectivæ divinæ providentiæ, debent æquè incipere; sed prædestinatio in prædestinato incipit à prima vocatione congrua connexa cum perseverantia; ergo etiam reprobatio in reprobo debet incipere à negatione primæ vocationis congruæ; sed hæc non habuit causam in reprobo; siquidem, si hanc haberet, esset peccatum; hoc autem non datur ante illam negationem, quia non datur ante primam permissionem, & prima permissio oritur ab illa negatione; ergo non habuit causam ex parte reprobi; consequenterque ejus reprobatio fuit ante prævisa demerita. Resp. negando primam minorem; nam, ut supra diximus, prædestinatio incipit ab electione efficaci ad gloriam; & sic etiam incipit reprobatio ab ejus exclusione; ita tamen, ut electio illa non supponat merita absolutè prævisa; hæc tamen exclusio supponat demerita absolutè prævisa.

63. Urgebis: Permissio primi peccati est effectus

Tom. 1.

reprobationis, sicque à Deo amabilis, & cum ex se non sit amabilis, debuit ex aliquo fine amari; alius autem non apparet, nisi expulsio à regno ad ostendendam Justitiam; ideoque ejus electio ab intentione damnandi aliquos imperatur; ergo supponit ipsam reprobationem; sed illa in se non supponit causam in reprobo; siquidem ante permissionem primi peccati non datur demeritum, quia non datur peccatum; ergo neque illam habebit in reprobo ipsa reprobatio.

64. Resp. negando antecedens; neque enim permissio primi peccati est effectus reprobationis positivæ, sed reprobationis à gratia congrua; nam ut esset effectus reprobationis positivæ debebat procedere ex intentione excludendi homines positivè à regno, quibus gratia congrua denegatur; Deus autem neque denegat gratiam congruam, neque peccatū permittit ex tali intentione, ut infra dicemus, sed ob alios fines, quos ille certò scit, & quorum unum assignat P. Vasq. ex D. Paul. & D. Aug. nempe, ut ostendat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ; siquidem denegans vocationes congruas non prædestinatis, magis ostendit misericordiam suam in electos, quibus illas concedit. De hoc tamen infra.

65. Obijcies 5. Ex permissione peccati infallibiliter sequitur ipsum peccatum, & ex peccato privatio, sive exclusio à gloria; ergo hæc saltem virtute fuit intenta in ipsa permissione; siquidem in electione medii, ut medii, saltem virtute intenditur finis. Respondeo argumentum, si aliquid probat, probare Deum, saltem virtute velle peccatum; siquidem hoc immediatius sequitur ex ipsa permissione, quàm illa privatio gloriæ; cum illud non probet, neque etiam hoc. Et ratio est, quia hæc non sequuntur per se, & ex natura rei ex auxilio sufficienti, ac permissione peccati, sed per accidens tantum ex sola hominis malitia; unde in illa permissione solum vult Deus ostendere, reliquisse hominem in manu consilii sui, ut libere, quod voluerit, operetur.

## SECTIO V.

*An posito peccato originali antecederet ad actualia, Deus aliquem positivè reprobaverit?*



66. DVERTES hinc cum P. Soar. lib. 5. de prædest. cap. 3. num. 11. peccatum originale dupliciter considerari posse: Primò præcisè solum ut contractum: Secundò, prout prævisum durans usque ad mortem. Hoc posito. Dico 1. Deus propter peccatum originale prævisum durans usque ad mortem voluit multos excludere à regno. Ita P. Soar. cit. Probatur, quia Deus in tempore, supposito pacto cum Adamo, justissimè exequitur pœnam ipsam exclusionis à regno; sed nihil exequitur in tempore, quod non decrevisset ab æterno; ergo &c.

67. Dico 2. Deus in eo primo signo, in quo prævidit lapsum Adami, sive propter solum prævisum originale præcisè ut contractum, & antequam prævideret meritorios sine remedio, nullum reprobavit. Ita P. Soar. cit. n. 11. P. Herice tract. 3. d. 33. cap. 4. n. 35. Lezana tract. 4. d. 12. q. 4. P. Arriaga d. 39. sect. 3. num. 31. & alii. Probatur primò, quia Deus, ut patet ex dictis, & patebit ex infra dicendis, nullum reprobavit positivè, nisi jam prævisa ejus morte in peccato finali; sed pro eo

R r 2

signa

signo adhuc non praevidebatur alicujus mors in peccato finali, ut supponimus; ergo adhuc tunc Deus pro illo signo nullum reprobavit.

68. Probatur secundò, quia si Deus tunc propter originale sic praevisum aliquos reprobarer, cum reprobatio secum deferat voluntatem puniendi poenâ aeternâ, sequeretur, quod omnes reprobi, quando postea in executione damnantur, etiam propter illud damnarentur; siquidem quod Deus ab aeterno decrevit, non potest non fieri in tempore, sicut decrevit ab aeterno; sed hoc est falsum; nam tale peccatum pluribus dimittitur in lege gratiae per Baptismum, sicut in lege veteri dimittebatur per Circumcisionem, & peccatum semel dimissum non potest puniri poenâ aeternâ: tum quia hæc dimittitur simul cum peccato mortali: tum etiam, quia ita declarat Trid. *sess. 3. de Peccat. Orig. ibi: Nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per Baptismum*; ergo &c.

69. Probatur tertio, quia si Deus præcisè propter originale ita sumptum aliquos reprobarer, cum hoc aequaliter sit in omnibus (exceptâ Virgine Sanctissimâ) omnes reprobarerentur; alioqui illud non esset causa totalis ipsius reprobationis, sed aliqua adderetur, aut ex parte Dei, quod non est dicendum, aut ex parte hominum, quæ tamen pro tunc non datur; sed non omnes reprobanter; ergo nulli, cum non detur major ratio de his, atque de aliis, & in omnibus sit eadem causa.

70. Probatur quartò, quia Deus post praevisum originale adhuc habuit voluntatem illam salvandi omnes per modum prosecutionis; siquidem idè adhuc eis tribuit auxilia sufficientia, quia adhuc sic intendit eorum salutem ut finem; sed cum hac voluntate non potest stare illa alia efficax perdendi aliquos; siquidem duæ voluntates contrariæ, etiam si una sit efficax, & altera inefficax, non compatiuntur circa idem objectum, quando motivum est idem, sine aliqua alia cōditione, aut causâ prævisâ, quod hic non accidit; cum ex parte hominum sit idem originale, & ex parte Dei eadem sit Bonitas, & Misericordia; ergo &c.

71. Oppositum tenet P. Vāsq. 1. p. d. 95. cap. 6. n. 31. dicens, aliquos parvulos, qui divinâ sic disponente Providentiâ, sufficienti remedio proximo carent, fuisse immediatè post peccatum Adami inefficaciter exclusos à Deo, à regno, ipsò Deo statim displicente in eorum salute, & posteriùs naturâ contraxisse originale, statimque fuisse efficaciter exclusos à regno, & poenæ damni adjudicatos: Pro quo:

72. Argues 1. Idè Deus non statim hujusmodi infantes excluderet à regno post peccatum Adami praevisum, quia adhuc eis optaret salutem; sed non ita optabat; siquidem quando Deus optat, & intendit aliquem finem, adhibet media, saltem sufficientia ad illum assequendum; nullum autem adhibuit illis infantibus, cum illos ita privaverit omni remedio, etiam sufficienti proximo, ut nullâ humanâ industriâ potuerit aliquod eis adhiberi; ergo non optabat, neque intendebat eis salutem; consequenterque statim eos exclusit à regno.

73. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem negamus etiam minorem, & ejus probationem; nam si Deus eos omni remedio positivè privaret, non possemus nos orare, ut Deus velit, eos exire vivos in mundum, & baptizari contra Apostolum pro omnibus, nullo excepto, orare jubentem. Undè P. Soar. & P. Herice dicunt, ultra remedium remotum, nempe Baptismum, aliud

Deum disposuisse proximum, quatenus parentibus eorum, qui in utero materno, aliave occasione sine Baptismo moriuntur, aliquas Deus tribuit cogitationes, & auxilia, quibus si responderent, aliter Deus res disposuisset, ita ut ipsi infantes sine Baptismo non decederent, qualia sunt parentibus inspirare, ut ab eo loco discederet mater, in quo eminebat periculum infanti, abstinere à tali cibo, consuleret Medicos, sicque de aliis, quæ nos ignoramus; ex quibus patet, Deum omnibus præparasse auxilia sufficientia, licet reliquerit causas secundas in sua libertate, & modo connaturali operandi.

Argues 2. Illa exclusio à regno, & illa alia voluntas salvandi omnes habent diversum motivum; siquidem hæc habet Bonitatem divinam; illa verò peccatum originale; ergo benè compatiuntur de eodem objecto. Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem dicimus, supponi falsum, Deum excludere positivè à regno, nisi propter peccatum finale praevisum absolute, quale non est originale prout sic sumptum. Accedit primò, quod si Deus propter originale, ut contractum tantum moveretur ad exclusionem à regno, cum æquè ab hominibus omnibus contrahatur (unâ exceptâ Virgine Sanctissimâ) ad omnium exclusionem moveretur, quod non dicent. Secundò, quod si propter illud ut sic excluderet, etiam propter illud postea puniret in effectu reprobos illos, quibus per Baptismum fuit dimissum, quod etiam non dicent; sicque Deus ad utrumque affectum ex se tantum moveretur.

Argues 3. Reprobatio omnium præcitorum facta fuit post originale; siquidem facta fuit post efficacè prædestinatorum electionem; hæc autem facta fuit post peccatum originale absolute praevisum, ut supra diximus; sed ipsum originale est sufficiens causa exclusionis à regno; ergo propter illud fuerunt reprobi exclusi. Respondeo negando consequentiam, si loquamur de originali in supposita acceptione; nam licet originale absolute, & ex se sit sufficiens causa ad illam exclusionem faciendam, de facto tamen ita non fuit in facta suppositione, ut patet ex dictis.

Argues 4. Deus in poenam peccati originalis negat reprobis auxilia efficacia; sed quibus Deus negat hujusmodi auxilia, reprobat; ergo propter originale eos reprobat. Resp. negando majorem; multis enim reprobis dat Deus auxilia efficacia, quibus gratiam, licet non finalem consequuntur. Deinde multis per Baptismum dimittitur ipsum peccatum originale, & poenâ eterna damni ei correspondens, sicque cum illis dimittetur etiam poenâ ipsa carenti auxiliis efficacibus; ac proinde non erit id signum reprobationis aeternæ.

Argues 5. Si non daretur originale, nullus esset exclusus à regno; ergo signum est, tale peccatum fuisse principium, & causam talis exclusionis. Respondeo negando antecedens; sicut enim, non peccante Adamo, adhuc ejus filii possent peccare, cum non nascerentur in gratia confirmati; ita etiam, illo non peccante, possent à Deo reprobari; & si de facto peccarent, de facto reprobarerent. Accedit, dato antecedente, ex illo solum sequi, peccatum originale fuisse radicem, & ad plurimum veluti causam remotam reprobationis; quatenus scilicet fuit occasio peccatorum actualium finalium, quæ sunt causa proxima reprobationis.

Argues 6. Deus pluribus adultis negavit media sufficientia propter originale, ut constat: Primò ab Scriptura, Matth. 12. ibi: *Qui dixerit verbum*

contra

## SECTIO VI.

## De Causis Reprobationis.



ADVERTES primò, hinc excitari posse quæstionem de causis reprobationis, tam ex parte Dei, quam ex parte ipsius reprobis, non tamen ex parte unius reprobis, aut alterius respectu alterius reprobis, sicut supra excitavimus de causis prædestinationis ex meritis unius hominis justis respectu alterius; licet enim merita unius possint aliis prodesse; non ita tamen possunt eis obesse aliorum demerita. Et ratio est, quia Deus facilius movetur ad præmiandum, quam ad puniendum; idcirco ex fine præmiandi acceptat etiam aliena merita; non ita tamen aliena demerita ex fine puniendi.

ADVERTES secundò, nos hinc non inquirere de causis intrinsecis reprobationis formalis, neque de extrinsecis efficientibus; siquidem cum reprobatio formalis consistat formaliter in actibus divinis Intellectus & Voluntatis Divinæ, qui sunt idem cum ipso Deo, nullas propriè habet causas, neque materiale, neque formalem, neque efficientem, sicut illas non habet ipse Deus; omnia hæc patent ex supra dictis de prædestinatione d. 3. à num.

ADVERTES tertio, causam finalem reprobationis formalis, quantum est ex parte Dei, esse manifestationem Misericordiæ, & gratiæ electionis in prædestinatos, juxta illud ad Romanos 9. ibi: *Ut ostenderet divitiis gloriæ suæ in vasa misericordiæ, &c.* Deinde ostensionem Omnipotentis suæ, ac supremi domini, juxta illud ad Rom. 9. ibi: *Volens notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ, apta in interitum.* Imò P. Alarcon addit, etiam esse ostensionem Justitiæ Divinæ punitivæ in ipsis reprobis, quod probat ex D. Aug. lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 23. *Deus, inquit, reddit mala pro malis, quia justus est: bona pro malis, quia bonus est: bona pro bonis, quia bonus, & justus est: solum non reddit mala pro bonis, quia injustus non est.* Et idem habet lib. 3. contra Julian. cap. 18. & lib. 1. Retract. cap. 9.

ADVERTES quartò, solum hinc excitari quæstionem de causa motiva, sive meritoria reprobationis formalis: cum autem reprobatio sit, aut negativa, aut positiva, prout supra diximus, & infra dicemus, primò de causis reprobationis negativæ inquiremus; secundò de causis reprobationis positivæ discutimus.

ADVERTES quintò, Manichæos, prout jam supra, & alibi diximus, existimasse, dari quoddam principium summè malum, & hoc fuisse totalem causam reprobationis hominum. Priscillianistæ judicarunt, fuisse fatum, & naturalem quandam necessitatem, & hinc ut ex causa procedere hominum reprobationem. Calvinus lib. 1. instit. cap. 18. §. 4. & lib. 3. instit. cap. 21. §. 25. & cap. 22. §. 3. & cap. 23. §. 2. & 3. & cap. 24. §. 3. & illius Sectatores dicunt, primam causam, & radicem totius culpæ, & perditionis reproborum fuisse Voluntatem Divinam, & ipsum Deum, quæ sententia planè crudelis, blasphema, & impia est, ut pluribus demonstrat P. Bellarm. lib. 2. de statu peccati, & lib. 2. de grat. damnaturque ut talis à Trid. sess. 6. can. 4. 5. & 6. ibi: *Quoniam Deus mortem non fecit, nec letatur in perditione vivorum.* Sap. 1. 13. Hos, & similes hæreticorum errores jam supra refutavimus, &

R t 3 plenius

contra Spiritum Sanctum non remittetur ei. Et 1. Joan. 1. ibi: *Est peccatum ad mortem.* Secundò ex Trid. sess. 6. cap. 11. ibi: *Deus suâ gratiâ justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur: ubi verbum nisi idem valet, ac dicere, quod si deseratur, etiam deserat; firmat enim regulam in contrarium: Tertiò ratione, quia infideles nunquam vocati ad fidem, carent mediis sufficientibus; sed Deus illa media negavit ex aliquo fine; ergo cum alius non appareat, ea negavit ex reprobatione positiva.*

RESPONDEO negando majorem; Deus enim omnibus tribuit auxilia sufficientia, ut infra dicemus, & constat ex illo Joan. 1. *Illuminat omnem hominem.* &c. Et ad Rom. 2. *Benignitas Dei ad penitentiam te adducit; secundum autem duritiam tuam, & impenitentem cor thesaurizans tibi iram.* Et D. Aug. de bono persever. cap. 6. *Voluntate suâ quisque deserit Deum, ut meritò deseratur à Deo; ergo si in poenam, quod Deum deserat, à Deo deseritur, & illum homo deseruit voluntate suâ per culpam, cum hæc stare non possit sine auxilio sufficienti, hoc Deus omnibus præstat; non quidem pro singulis momentis, sed pro temporis, ac rerum opportunitate: imò etiam lapsus non oblat opportunitate juxta illud: *Ecce stes ad ostium, & pulso.* Unde:*

AD PRIMAM probationem dicimus in illis, & aliis similibus locis, solum velle Scripturam significare, homines illos difficillimè converti, & ad penitentiam reduci; non quia Deus eos non vocet, & auxilia sufficientia non præstet, sed quia illi ex malitia sua non audiunt, & aures obturant.

AD SECUNDAM probationem dicimus: Primò, Concil. ibi loqui tantum de gratia concomitante, quam Deus nemini dat, nisi prius acceptet gratiam vocantem; neque enim gratia adjuvans confertur ei, qui gratiæ vocanti resistit, in quo prius Deum deserit, ut postea ab eo deseratur. Secundò particulam illam *nisi* solum habere rationem conditionalis, & non exceptivæ, ex quo solum colligitur, Deum deserere, si deseratur, non tamen quod semper deserat, eo ipso, quod deseratur; vel etiam deserere, non dando auxilia efficacia; nunquam tamen negando sufficientia; alioqui homines in non observandis præceptis non peccarent; siquidem in ipsis auxiliis carebant necessariis ad libertatem.

AD TERTIAM dicimus, Deum etiam infidelibus præparasse media sufficientia, quæ si aliquando haberi non possunt viribus naturæ, idcirco est, quia illi propriis peccatis ea impediunt; nam dum excitantur ad non peccandum contra legem naturalem, etiam excitantur, saltem remore ad ulteriorem gratiam: neque tamen verum est, negationem talis culpæ esse dispositionem positivam ad habendam ipsam vocationem supernaturalem; sicut verum est, si ipsi per ipsam culpam non ponerent obicem, Deum ita res dispositurum, ut absque miraculo ad fidem vocarentur, aut interius per Angelos, aut exterius per homines juxta suam operandi modum Providentiæ Divinæ.

plenius refutat P. Soar. lib. 1. & 2. de Auxil. His positis.

88. Difficultas 1. Utrum detur aliqua causa reprobationis negativæ à gloria ex parte reprobi? Negativè. Ita P. Soar. lib. 5. de prædest. cap. 5. n. 5. P. Herice tract. 3. d. 33. cap. 2. n. 11. Leſan. tract. 4. d. 12. q. 3. §. 1. P. Tanner. d. 3. q. 7. dub. 3. num. 24. & alii apud cit. Probatur primò ex illo ad Rom. 9. ibi: Cum non dum aliquid boni egissent, aut mali, &c. qui locus supra explicatus est de electione efficaci ad gloriam ante prævisa merita, & de reprobatione negativa ante prævisa demerita, sicque ad hanc nulla fuit causa ex parte reprobi; sicut ad illam nulla fuit causa ex parte prædestinati; cum hujus electio, & illius reprobatio negativa fuerint in eodem signo. Confirmatur ex D. Aug. tract. 26. in Joan. Cur hunc trahat, inquit, & illum non trahat, noli judicare: Et Epist. 165. Cur hunc liberet, & non illum: & idem habet lib. de corrept. & grat. cap. 8. & 13. ex quibus constat nullam admittere causam reprobationis negativæ, sive non electionis ex parte reprobi.

89. Probatur secundò rationibus: Prima, quia si aliqua esset causa hujus reprobationis ex parte reprobi, essent illius mala opera prævisa; sed non ita fuerunt; siquidem facta fuit in eodem signo cum electione prædestinatorum; hæc autem facta fuit ante prævisionem omnium bonorum operum in esse absoluto, ut supra diximus; ergo etiam illa reprobatio facta fuit ante prævisionem malorum operum in esse absoluto; consequenterque hæc non fuerunt illius causa.

90. Secunda, quia in illo primo signo æquales erant inter se electi, & non electi, sive negativè reprobi; alioqui non esset speciale Dei beneficium illa prædestinatorum discretio, sive electio præ aliis; sed in illo signo electi nullam habebant causam, sive culpam, aliamvè rationem motivam, ob quam non eligerentur; ergo neque illam habuerunt ipsi reprobi, sive non electi. Confirmatur, quia in Angelis nulla præcessit culpa ante voluntatem divinam eos non eligentem efficaciter ad gloriam; ergo idem dicendum in hominibus.

91. Argues 1. Peccatum originale fuit causa illius reprobationis negativæ; ergo &c. Respondeo negando antecedens; licet enim potuerit sic esse, non ita tamen fuit de facto: Primò, quia hujusmodi reprobatio negativa fuit communis Angelis malis, & hominibus; sed in illis non habuit pro causa peccatum originale; ergo neq; in istis. Secundò, quia originale fuit commune electis, & non electis, sive reprobatis negativè; sed non fuit causa electis non electionis; ergo neque ipsi reprobis. Tertio, quia si esset causa illius reprobationis, talis esset in omnibus reprobis; sed non ita est; siquidem in multis dimissum est, quo non obstante, si esset causa reprobationis eorum, eis daretur poena damni tali peccato correspondens, quod tamen non est dicendum; siquidem licet peccatis dimissis possint correspondere poenæ temporales, quales sunt dolores, infirmitates, mors, & similes, non ita possunt poenæ æternæ; ergo cum hi non fuerint negativè reprobi propter originale; neque sic fuerunt alii; consequenterque nulli. Unde Deus in ipsa reprobatione habuit se tantum negativè ad tale peccatum, non attendendo ad illud.

92. Argues 2. Creaturæ illæ sic reprobatae nullam habebant causam, ut à Deo eligerentur; sed hoc erat sufficiens causa, ut ab eo negativè reprobandentur; ergo habuerunt causam suæ reprobationis negativæ. Respondeo negando minorem, si ser-

mo sit de causa morali, quæ addita ex parte creaturæ posset Deum movere ad habendam eam voluntatem non eligendi, de qua tantum causam motivam hæc loquimur, & quam non probat argumentum, sed tantum de ratione negativa, quæ non dicitur propriè causa; alioqui dicamus, etiam electos habuisse causam suæ electionis, quia non habuerunt causam expulsiōis. Unde sicut ex parte electorum data non fuit capacitas aliqua naturalis ad electionem; ita neque ex parte reproborum ad eorum non electionem; siquidem, ut ait P. Soar. cit. num. 6. ubi affirmatio non est causa affirmationis, neque negatio opposita potest dici causa negationis.

Argues 3. Aliqui Patres dicunt, hominem apposuisse causam suæ non electionis, sic enim ait D. Prosper. Respons. 3. ad Gallos: ibi: Non necessitatem puniendi habuerunt, quia prædestinati non sunt, sed idè non prædestinati, (id est non electi,) quia tales futuri ex voluntaria prevaricatione præcisi sunt; ergo &c. Resp. D. Prosper. sicut & alios Patres intelligendos esse de reprobatione positivâ, quæ aliquando significatur termino negativo, quatenus semper adjunctam habet negationem electionis, sive prædestinationis.

Argues 4. Homines ante originale fuerunt electi ineffaciter ad gloriam, & ad sola auxilia sufficientia; ergo ante illud fuerunt prævisi incidere in aliqua peccata personalia; siquidem auxilium sufficiens connotat ipsa peccata; consequenterque ante prædestinationem Christi Domini jam aliqua prævidebantur in esse absoluto, propter quæ homines potuerunt esse non electi ex causa, quam habebant. Respondeo negando consequentiam; siquidem Deus in illis signis usque ad electionem efficacem nulla prævidit opera in esse absoluto, neque bona, neque mala; sicque auxilia illa sufficientia, & intentio illa gloriæ solum erant inter divina decreta conditionatè, nempe si homines vellent pro signis sequentibus acceptare.

Difficultas 2. Utrum detur aliqua causa reprobationis negativæ à gratiâ congruâ ex parte reprobi? Negativè. Ita D. Thom. 1. p. q. 23. art. 3. Durand. in 1. dist. 41. q. 2. num. 4. Ariminenf. ibid. q. 1. art. 2. Capreol. ibid. q. unica. Caiet. 1. p. q. 23. art. 5. Bannez. ibid. Zamel. ibid. d. 4. P. Vasq. 1. p. d. 95. cap. 9. num. 56. P. Molin. 1. p. q. 5. d. 3. quos citat, & sequitur P. Tanner. d. 3. q. 7. dub. 3. num. 11. & 18. P. Rhodex. tom. 1. d. 5. q. 2. sect. 2. §. 1. & alii. Probatur primò in Angelis, & primis Parentibus ante commissum originale, (quod omnes concedunt,) quia si in illis daretur causa ad talem reprobationem, esset aliquod demeritum; sed illi hoc non habuerunt ante talem reprobationem; siquidem tale demeritum esset aliquod peccatum; illi autem nullum antecedenter habuerunt; cum peccatum supponat permissionem; hæc autem supponat illam reprobationem, ut supra notavimus; ergo nullum habuerunt demeritum; consequenterque neque causam aliquam talis reprobationis à gratiâ congruâ.

Probatur secundò de hominibus post commissum originale, quia si in illis daretur aliqua causa motiva talis reprobationis, esset ipsum originale; sed non ita fuit; ergo &c. Probatur minor, quia tale peccatum non fuit causa motiva reprobationis negativæ à gloria, ut diximus; ergo neque reprobationis negativæ à gratiâ congruâ.

Confirmatur primò, quia, ut ait P. Herice tr. 3. d. 33. cap. 2. n. 10. reprobatio formalis à gratiâ congruâ est logicè reprobatio virtualis à gloria; & è contra reprobatio formalis à gloria est logicè repro-

reprobatio virtualis à gratia congrua; nam sicut non potest intendi finis sine virtuali electione mediorum; neque possunt eligi media sine virtuali intentione finis; ita etiam non potest negari electio ad finem formaliter, quin virtualiter logicè negetur electio ad media; neque potest negari formaliter electio ad media, quin virtualiter logicè negetur intentio finis; sicut enim positio est causa positionis, ita etiam negatio est causa negationis; sed ut detur negatio electionis ad gloriam, sive reprobatio negativa à gloria quæ est finis, non fuit causa motiva ipsam originale; ergo neque sic erit, ut detur negatio electionis ad gratiam congruam, sive reprobatio negativa à gratia congrua, quæ est medium.

Confirmatur secundo, quia peccatum originale fuit æqualiter in omnibus hominibus, tam electis, quam non electis, sive reprobis; sed in electis, imò & in reprobis, quibus fuit dimissum, non fuit causa istius reprobationis negativæ à gratia congrua, neque à gloria, ut patet ex supra dictis; ergo &c.

Oppositum tenent P. Soar. lib. 5. de prædest. cap. 5. n. 9. Soto ad Rom. 9. Driedo de concord. liber. arbit. p. 1. cap. 4. memb. 1. P. Bellarm. lib. 2. de grat. cap. 16. P. Valent. 1. p. 9. 23. punct. 3. quos citat, & sequitur P. Ruiz d. 14. sect. 3. n. 23. P. Alarcon tract. 4. d. 5. cap. 3. n. 8. Lezana d. 12. q. 5. & alii apud citatos: pro quibus: Obijcies 1. D. Aug. loquens de Jacob, & Esau sic ait: *Esau Deus odio habuit propter originale peccatum*; ergo ponit causam reprobationis illius in ipso originali. Respondeo negando consequentiam: nam alibi inquirendo causam hujus reprobationis, ad solam Scientiam Divinam confugit dicens: *Si dicas, non ut erat melius ambos liberare? Dico ò homo, tu quis es, qui respondas Deo?* Unde ibi non assignavit causam reprobationis negativæ Esau peccatum originale; alioqui cum hoc esset utrique commune, uterque esset reprobatus, & non benè de solo Esau diceret: *Esau Deus odio habuit*; sed supposita hac reprobatione ex mera Dei voluntate, cum Esau non esset electus ad gratiam, sicut Jacob, ideoque maneret in peccato, inde iuste dixit, quod Deus cum odio habuisset.

Obijcies 2. Peccatum originale de se erat sufficiens causa ad causandum illam reprobationem à gratia congrua; ergo ita fuit de facto. Respondeo ad antecedens, esse quidem causam sufficientem; non tamen necessariam, ut ipsi Adversarii fatentur, & patet ex prædestinatis, qui illud contraxerunt; & tamen non fuerunt reprobi à gratia congrua; sicque de facto talis causa non fuit, ut patet ex dictis.

Obijcies 3. Peccatum est tantum malum, ut Deus illud non permitteret, nisi in poenam alterius peccati; sed ante illud primum non apparet aliud actuale, ratione cuius Deus permitteret ipsum primum, & negaret gratiam congruam; ergo causa negationis gratiæ congruæ, sive reprobationis negativæ ab illa, fuit ipsum peccatum originale. Respondeo negando majorem; nam in Angelis non præcessit aliud peccatum, neque actuale, neque originale; neque etiam in primis parentibus, quando primum peccatum commiserunt; & tamen Deus permittit eorum peccata, negando eis illa auxilia congrua, sive non eligendo illos ad gratiam congruam; cù ergo non ita faceret, etiam supposito originali? Præsertim, quia quando eos non elegit, adhuc non videbat illa opera bona in esse absoluto, per quæ aliquibus dimittendum

erat originale, ut propter illa ex tali peccato hos non reprobareret à gratia congrua; illos autem maxime.

Obijcies 4. Peccatum originale, adhuc dimissum, manet causa sufficiens poenæ temporalis, nempe doloris, infirmitatis, mortis, & similibus; sed inter has numeratur etiam illa non electio ad gratiam congruam; ergo tale peccatum omnibus non prædestinatis potuit esse causa illius non electionis. Respondeo negando minorem cum P. Herice, P. Alarcon, & aliis: Primò, quia si remissio illo peccato, adhuc homo propter illud maneret dignus ea reprobatione, adhuc ex illo remaneret, quod hominem retardaret ab ingressu Cæli; hoc autem est contra Trid. sess. 5. de peccato origin. ubi id omnino negat. Secundo, quia cum per remissionem ipsius peccati infundatur gratia, & per hanc maneat homo dignus vitæ æternæ, consequenterque auxiliis efficacibus, quibus illa comparatur, non potest adhuc per illud manere dignus reprobatione ab ipsis auxiliis; cum hæc condignitates sint contrariæ. Ex quibus patet hujusmodi reprobationem non esse poenam, neque inter illas poenas numerari, sed provenire ex mera Dei libertate, & sine aliqua culpa, sive causa ex parte reprobi.

## SECTIO VII.

### Virum præcesserit causa reprobationis positivæ ex parte reprobi?



Ico 1. Datur causa reprobationis positivæ ex parte reprobi: Ita Doctores supra citati n. 51. & infra citandi n. 107. Probatur primò ex supra dictis à n. 51. & ex infra dicendis à n. 107. Secundo, quia reprobatio positivæ est actus quidam iudicii per modum sententiæ prolatus; sententia autem, ut sit iusta, qualis debet esse in Deo, nunquam profertur sine culpa; ergo &c.

Dico 2. Nullum peccatum, sive originale, sive personale, quod in mortis instanti est remissum, censetur causa reprobationis positivæ. Ita communiter Doctores. Probatur, quia quod est causa reprobationis positivæ, est etiam causa damnationis æternæ; siquidem reprobatio positivæ præter exclusionem à regno desert ipsam damnationem, sed nullum peccatum, postquam est remissum, relinquit dignitatem poenæ æternæ, ut definit Trid. sess. 5. cit. ergo neque est causa reprobationis positivæ.

Dico 3. Peccatum originale non est causa reprobationis positivæ in omnibus qui damnantur. Est etiam communis inter Doctores. Probatur primò, quia Angeli de facto fuerunt damnati; & tamen nullum habuerunt peccatum originale; ergo &c. Secundo, quia originale pluribus hominibus reprobis fuit dimissum; ergo neque partialiter, neque totaliter potuerunt esse reprobi propter illud; consequenterque originale non fuit causa eorum reprobationis positivæ. Neque obstat, quod originale fuerit fons, & radix peccatorum, & utaliqui voluerunt, etiam negationis auxiliorum efficacium: non, inquam, obstat, ex hoc enim solum colligitur, fuisse causam remotissimam, imò potius occasionem tantum removens prohibens.

Dico

106.

Dico 4. Nullum peccatum, etiam actuale, quod non conjungitur cum morte hominis, est causa reprobationis positivæ illius. Ita Doctores citati, & infra citandi. Probatur primò, quia tunc censetur Deus habere voluntatem positivam reprobandi aliquem, quando cessat à voluntate illa generali salvandi illum; sed propter quodcumque peccatum prævisum ante mortem non cessat Deus ab illa voluntate; siquidem quandiu homo vivit semper ei dat auxilia sufficientia ad salutem; ergo non censetur habere voluntatem positivam reprobandi illum propter tale peccatum. Secundo, quia plures electi, quandiu vixerunt, plura commiserunt peccata non finalia; & tamen propter illa sic prævisa ante mortem non fuerunt positivè reprobat; alioqui non salvarentur, aut decretum Dei efficax frustraretur; ergo propter nullum peccatum prævisum ante mortem Deus positivè reprobatur.

107.

Dico 5. Peccatum, sive peccata finalia in adultis sunt causa reprobationis positivæ. Ita communiter Doctores. P. Bellarm. lib. 2. de grat. & liber. arbit. cap. 16. & lib. 2. de amiss. grat. cap. 12. P. Soar. 1. p. lib. 5. de reprob. cap. 3. & 6. n. 8. P. Vasq. 1. p. d. 95. cap. 5. P. Molin. in Concord. a. 5. d. 3. P. Valent. de Reprob. punct. 3. P. Less. de Reprob. sect. 6. assert. 6. P. Arrub. d. 88. cap. 2. quos citat, & sequitur P. Herice tract. 3. d. 33. cap. 3. n. 16. ubi dicit hanc sententiam pro vitili defendere Scriptores nostros Societatis JESU; oppositamque dici à Catherin. lib. 2. de prædest. horribilem, & piorum aures verberare, ipsamque Augustinum eam detestari ut impiam; & Adversariorum sententiam aliquas conclusiones habere cum doctrina Calviniana communes, ut ibi ostendit ipse P. Herice loco citato. Videat ibi Lector, nos enim ab hujusmodi censuris abstinendum judicavimus, quamdiu videmus hanc sententiam tenere Doctores Catholicos, inter quos sunt Recentiores Thomistæ Bannez 1. p. q. 23. a. 3. Zumel. ibid. d. 4. Alvarez de Auxil. d. no. & alii apud illos, quatenus defendunt, Deum ante prævisionem ullius peccati, ex se voluntate sua antecedente decrevisse excludere reprobos à regno Cælorum ad offensionem suæ Justitiæ Divinæ, contra quos jam supra egimus à n. 51.

108.

Probatur primò ex supra dictis à num. 51. cit. Secundo, quia illud est causa reprobationis, quod est causa damnationis; sed causa damnationis sunt tantum peccata, & sola finalia; sicut causa salutis sunt sola merita, & hæc finalia, ut constat ex Trid. apponente hanc conditionem ad salutem in effectu consequendam, nempe, si in gratia decesserit; ergo idem dicendum de demeritis, prout sunt causa reprobationis positivæ.

109.

Dico 6. Peccatum originale in parvulis à Deo prævisum ut durans usque ad mortem fuit causa eorum reprobationis positivæ. Ita Doctores communiter. Probatur, quia eadem est causa reprobationis positivæ, atque damnationis æternæ; sed illud peccatum sic prævisum in parvulis est causa damnationis; ergo etiam reprobationis positivæ. Dixi sic prævisum, quia Deus non habuit voluntatem antecedentem damnandi ipsos parvulos, donec prævidit, quod per causas naturales eveniret, eos decessuros sine remedio, & in tali peccato.

## SECTIO VIII.

### De effectibus Reprobationis, & qua conditiones requirantur, ut tales sint?

**D**IFFICULTAS 1. Quales conditiones requirantur, ut aliquid sit effectus reprobationis? Quinque requiruntur conditiones, ut aliquid sit reprobationis effectus. Patet, quia, ut supra diximus, quinque requiruntur conditiones, ut aliquid sit prædestinationis effectus; ergo etiam quinque requiruntur, ut aliquid sit reprobationis effectus; oppositorum enim eadem est ratio: prædestinatio autem, & reprobatio opponuntur, prout supra diximus. Igitur:

Prima conditio est, ut sit effectus Dei. Probatur, quia reprobatio, prout supra diximus, est actus Dei internus, & immanens, sicque idem cum ipso Deo; ergo quicquid est effectus reprobationis, est etiam effectus ipsius Dei, id est Omnipotentia illius imperata per talem actum, sive applicata.

Secunda conditio est, ut actu conducat ad æternam damnationem, aut sit ipsa poena æterna. Probatur, quia effectus reprobationis debet esse proprius reprobi, & minime communis prædestinato; sed redditur proprius reprobi per id, quod aliquo modo conducat actu ad damnationem æternam; ergo &c.

Tertia conditio est, ut procedat ex speciali Voluntate Dei puniendi, & excludendi reprobum à gratiâ, & à gloriâ. Probatur, quia reprobatio, si sit negativa, (ut multi judicant) est exclusio reprobi à gratiâ; & si sit positiva, est exclusio à gloriâ, & destinatio ad damnationem; ergo ut aliquid sit effectus reprobationis, debet procedere à tali voluntate speciali puniendi.

Quarta conditio est, ut aliquo modo pertineat ad ordinem providentiæ supernaturalis. Probatur, quia similis conditio requiritur ad effectus prædestinationis, ut diximus; sed negatio, & forma negativa videntur pertinere ad eundem ordinem; ergo sicut effectus prædestinationis, ut talis sit, debet sumi in ordine ad finem supernaturalem; ita etiam effectus reprobationis, ut talis sit, debet sumi in ordine ad exclusionem à tali fine supernaturali.

Quinta conditio est, ut debeat respicere ipsum reprobum ut causam demeritoriam. Probatur, quia effectus prædestinationis, ut talis sit, respicit Christum Dominum, ut causam meritoriam; ergo similiter effectus reprobationis, ut talis sit, debet respicere aliquam causam demeritoriam; talis autem est ipse reprobos. Scio aliquos Doctores non omnes has conditiones admittere, sicut non omnes admittunt in effectibus prædestinationis, prout supra diximus; facile tamen omnes admitti possunt, quia utrobique eadem est difficultas, & ratio. Vide supra Disp.

Difficultas 2. Utrum peccatum absolute sit effectus reprobationis? Negative. Ita communis Theologorum sententia. P. Soar. P. Herice, P. Ruiz, & alii. Probatur, quia effectus reprobationis, ut talis sit, debet esse effectus Dei, prout diximus; sed peccatum non est, neque potest esse effectus Dei; alioqui posset Deus esse causa peccati.

peccati, quod est contra fidem; ergo peccatum non est effectus reprobationis.

117. **Oppones 1.** Meritum bonum est effectus prædestinationis; ergo etiam meritum malum, siue peccatum, erit effectus reprobationis; siquidem ita se habet meritum malum ad penam, atque bonum ad præmium, siue ad gloriam. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia meritum bonum est effectus Dei, & habet omnes alias condiciones requisitas, ut sit effectus prædestinationis: at verò meritum malum, (etiam si habeat alias condiciones, de quibus hic non agimus) non est effectus Dei, ideoque non potest esse effectus reprobationis.

118. **Oppones 2.** Peccatum est medium actu conducent ad mortem æternam; sed quidquid ita conducit in reprobo, est effectus reprobationis; siquidem quidquid actu conducit ad vitam æternam in prædestinato, est effectus prædestinationis; contrariorum autem eadem est ratio; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem; quidquid ita conducit in reprobo, est effectus reprobationis, si sit effectus Dei; concedo minorem: si talis non sit; nego minorem: cum autem peccatum, licet ita conducit actu ad mortem æternam, non sit effectus Dei, neque à Deo procedat speciali voluntate; maxime verò ita procedat, & sit effectus Dei, quidquid actu conducit ad vitam æternam in prædestinato, idèd hoc est effectus prædestinationis, & non ita est effectus reprobationis peccatum.

119. **Oppones 3.** Deus, ut docet D. Aug. lib. de prædest. & liber. arbitr. cap. 2. aliquando flectit corda hominum ad malum; sed hoc facit ex intentione excludendi illos à regno; ergo malum, siue peccatum est effectus talis exclusionis, siue reprobationis. Respondeo D. Aug. solum velle, Deum flectere ad malum permissivè, & indirectè; non autem directè, & positivè, quod erat necessarium, ut malum, siue peccatum esset effectus reprobationis.

120. **Difficultas 3.** Utrum materialitas peccati sit effectus reprobationis? Advertes, materialitatem peccati, prout jam supra diximus, considerari posse; aut ut exit à peccatore; aut ut exit à Deo, idque aut de facto, aut saltem de possibili. Hoc posito.

121. **Dico 1.** Materialitas peccati considerata prout exit à peccatore, nec de facto, nec de possibili est effectus reprobationis. Ita communiter Doctores. Probatur ex supra dictis pro effectibus prædestinationis, nam materialitas peccati ut sic est infecta malitiâ formali; ergo neque est, neque potest esse effectus Dei, neque à Deo volita speciali affectu; sed hæc requiruntur, ut sit effectus reprobationis; ergo &c.

122. **Dico 2.** Materialitas peccati, etiam prout exit à Deo, neque de facto, neque de possibili est effectus reprobationis tam negativæ, quam positivæ. Ita communiter Doctores. Probatur prima pars, quia ad effectum reprobationis negativæ, aut positivæ de facto requiritur, quod procedat ex speciali, ac studiosâ Dei Voluntate; sed illa materialitas non sic procedit à Deo, imò potius ex voluntate permissivâ, & veluti coactâ; ergo &c.

123. Probatur secunda pars, quia materialitas peccati præter rationem assignatam, prout exit à Deo antecedit reprobationem positivam; ergo non potest esse illius effectus; alioqui effectus esset prior suâ causâ. Probatur antecedens, quia materialitas peccati, aut est simul cum ejus malitiâ formali, aut prior; siquidem cum hæc sit forma, debet sup-

ponere materialitatem ut subiectum; sed formalitas peccati, nempe malitiâ est prior reprobatione positivâ, ut sit illius causa, ut diximus; ergo etiam ipsa materialitas erit prior reprobatione positivâ; ergo non potest esse illius effectus; alioqui idem posset esse prius, & posterius in genere effectivo morali, quod implicat, sicut implicat esse prius, & posterius in genere effectivo physico.

124. **Difficultas 4.** Utrum formalis malitiâ peccati, saltem prout est pœna, sit effectus reprobationis? Advertes hic, præsentem difficultatem supponere cum aliquibus Theologis, peccatum habere posse rationem pœnæ, quando scilicet Deus in pœnam unius peccati ita deferit peccatorem, ut in aliud prolabatur. Imò nonnulli asserunt, peccati malitiâ adnexam esse rationem summæ pœnæ, quatenus privat amicitiam Dei, ejusque gratiâ: item quatenus reddit peccatorem exheredem Regni Cœlestis, mancipium diaboli, &c. Igitur hac facta suppositione.

125. **Conclusio sit:** Peccatum, neque ut est pœna, potest esse effectus reprobationis. Ita P. Soar. lib. 5. de prædest. cap. 7. num. 3. & alii. Probatur, quia dato quod peccatum habeat rationem pœnæ (idemque dicendum de peccati duratione) talis pœna in particulari sumpta includeret rationem culpæ intrinsicè; sed hanc Deus nec velle, nec ordinare potest, ut sit; ergo admittâ tali ratione pœnæ in peccato, negandum est, Deum esse causam talis pœnæ; consequenterque talem pœnam esse effectum Dei; sed ut esset effectus reprobationis, debebat esse effectus Dei, ut diximus; ergo &c.

126. **Dixi, dato, quod habeat rationem pœnæ,** quia peccatum (idemque de illius duratione) re vera illam non habet respectu alterius peccati præcedentis, ut sentiunt alii cum P. Soar. cit. Patet, quia pœna in ratione pœnæ potest à Deo intendi, ut communiter dicitur, cum sit bona; sed peccatum in ratione pœnæ semper includit malitiâ, quam Deus nec velle, nec intendere potest; ergo non potest habere rationem pœnæ à Deo infligendâ in pœnam alterius peccati.

127. **Advertes tamen primò,** me non negare, permissionem peccati, & negationem auxilii efficacis posse habere rationem pœnæ, sed tantum id negare de ipso peccato ob assignatam rationem. Secundò etiam id non negare de permissione durationis peccati, neque de duratione auxilii congrui, quo peccator respiciat, has enim fatemur posse habere rationem pœnæ, quam tamen negamus habere ipsius peccati durationem; siquidem cum sit intrinsicè mala, seu infecta malitiâ intrinsicâ, non potest à Deo intendi ut pœna, cum tamen pœna, ut pœna bona sit.

128. **Dices:** Formalitas illa pœnæ est bona; siquidem bonum, imò optimum videtur esse, supposito quod sit malitiâ, quod ipsa sit vindex, & ultrix sui ipsius; ergo potest ut sic à Deo intendi, & amari; consequenterque esse effectum reprobationis. Resp. primò negando antecedens; jam enim supra diximus, peccatum non habere rationem pœnæ; licet id concedamus de ejus permissione. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; dato enim quod habeat talem rationem pœnæ, non poterit ut sic à Deo amari, neque intendi; siquidem talis pœna ut sic includit etiam rationem culpæ, quam Deus neque intendere, neque amare potest, quod erat necessarium, ut esset reprobationis effectus, ut diximus.

129. **Inhabis:** Permissio peccati ut sic potest habere rationem pœnæ; ergo etiam peccatum, ut sic talem

talem rationem habere poterit. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia permissio peccati non includit intrinsicè malitiam culpæ, imò potius includit bonitatem intrinsicè, sive est bona secundum quod habet intrinsicè, ideoque potest à Deo amari efficaciter, non efficacie absolutà, sed conditionatà, sive ex suppositione, quod voluntas creata dissentiri velit auxilio sufficienti: at verò peccatum secundum formale, & intrinsicè, quod includit est malum, cum sit intrinsicè conjunctum cum malitia formali, à quâ non potest præscindere in ratione peccati; & in ratione talis pœnæ, sicque non potest amari à Deo, neque esse ejus effectus; consequenterque neque effectus reprobationis, ut diximus.

130. Difficultas 5. Utrum permissio peccati sit effectus reprobationis negativæ? Advertes hujusmodi quæstionem posse procedere de permissione peccati non finalis, aut de permissione peccati finalis; sicque de hac duplici permissione duplicem conclusionem resolvemus: Sit igitur:

131. Conclusio prima: Nulla permissio peccati non finalis est effectus reprobationis negativæ. Ita communiter Doctores. Probatur, quia nulla permissio peccati non finalis, sive originalis, sive personalis procedit ex reprobatione negativa, sed ex voluntate permittendi ipsum peccatum non finale; hæc autem voluntas non est reprobatio negativa, alioqui ex illa sequeretur infallibiliter reprobatio positiva, prout supra diximus, quod est falsum, cum Deus multa peccata non finali permitat in electis; atqui ut esset effectus reprobationis negativæ debebat ab illa procedere; omnis enim effectus debet procedere à sua causa; ergo &c.

132. Conclusio secunda: Omnis permissio peccati finalis, sive originalis, sive personalis, prout dicit negationem vocationis congruæ, est effectus reprobationis negativæ. Ita communiter Doctores *P. Soar. lib. 5. de reprob. cap. 7. num. 14.* Probatur, quia talis permissio ut sic oritur ab illa non electione ad gloriam, quæ est reprobatio negativa, ita ut vera sit hæc causalis: *Deus permittit, hunc peccare finaliter, quia non elegit illum ad gloriam, ut docet D. Aug. lib. de bono persever. cap. 14.* ubi dicit, non dari reprobo vocationem congruam: *quia non fuit altiori modo à massa perditionis discretus; sed quæ sic oriuntur habent rationem effectus; ergo permissio illa est effectus illius reprobationis negativæ, eo modo, quo una negatio potest habere causam, & rationem effectus, non per influxum positivum, sed per ejus subtractionem.*

133. Dixi prout dicit negationem vocationis congruæ, nam prout dicit concursus positivum, per quem Deus ut causa universalis paratus est concurrere ad actum peccati, si creatura velit illud committere, non potest esse effectus reprobationis negativæ; siquidem ex negatione non sequitur per se aliquid positivum; sicque solum est effectus providentiæ generalis, quam Deus, ut causa prima, & gubernator generalis debet causis secundis.

134. Objicies 1. Illa prima negatio, quæ est reprobatio negativa, non habet rationem intentionis finis, imò potius est negatio ipsius intentionis, ut patet ex dictis; ergo non potest exercere causalitatem respectu secundæ negationis, qualis est permissio peccati finalis, prout dicit negationem vocationis congruæ. Respondeo distinguendo consequens: non potest exercere causalitatem positivam; con-

cedo consequentiam: negativam, & eo modo, quo negatio est causa negationis; nego consequentiam: sic enim eam causalitatem exercere poterit, quando affirmatio est causa affirmationis; nam sicut efficax intentio finis est ratio dandi media efficacia ad ipsum finem assequendum, ita etiam negatio electionis ad finem est suo modo ratio non dandi media efficacia ad ipsum finem.

Objicies 2. Permissio peccati originalis, ut est permissio peccati omnibus communis, est effectus reprobationis negativæ; & tamen in pluribus non conducit ad effectum reprobationis positivæ, quæ est una ex conditionibus supra requisitis ad effectum reprobationis; ergo non solæ permissiones, quæ ita conducunt sunt effectus reprobationis. Respondeo primò, argumentum jam non probare contra conclusionem, ut consideranti patebit. Respondeo secundò negando majorem, nam talis permissio antecedit ipsum peccatum, & peccatum absolutè sumptum antecedit, ut commune, ipsam reprobationem negativam; siquidem hæc fuit facta in eodem signo, quo fuit facta electio prædestinatorum; hæc autem electio fuit post peccatum commune absolutè prævisum, ut supra diximus; sicque post ejus permissionem; ac proinde hæc non potest esse effectus reprobationis negativæ; alioqui prior esset effectus, quàm sit causa. Accedit, quod peccatum ipsum, cum sit commune, & eodem modo in omnibus, non potest esse effectus reprobationis in aliquibus, nempe in reprobis, & non in aliis, nempe in electis, prout supra diximus.

Inferes: Ergo neque in parvulis, qui sine Baptismo decedunt, erit effectus reprobationis negativæ; hoc autem est contra superius dicta; siquidem in illis est permissio peccati finalis; ergo &c. Respondeo concedendo illationem, si sumatur ut est permissio peccati absolutè, & ut communis; aliter tamen, si sumatur ut est permissio peccati persistentis usque ad mortem, seu finalis; nam sicut prout sic, & non ita in illa prima consideratione, est causa reprobationis positivæ; ita etiam prout sic, & non in illa prima consideratione, est effectus reprobationis negativæ; & secundum has diversas considerationes supra locuti sumus *Sell. 5. d. num. 66.*

## SECTIO IX.

### Utrum permissio peccati sit effectus reprobationis positivæ?

**C**ONCLUSIO sit: Nulla permissio peccati, etiam finalis, & ultimi, est effectus reprobationis positivæ. Ita *P. Soar. hic lib. 5. cap. 7. n. 9. P. Amicus d. 16. sect. 3. num. 61.* & alii communiter. Probatur, quia nullus effectus est naturâ prior suâ causâ; sed omnis permissio peccati est naturâ prior reprobatione positivâ; ergo &c. Probatur minor, quia reprobatio positiva, ut diximus, fuit à Deo facta post præscientiam absolutam peccatorum finalium; ergo ipsa peccata finalia sunt naturâ priora reprobatione positivâ; sed omnis permissio est naturâ prior ipsius peccatis finalibus; siquidem ex permissione sequitur peccatum; ergo omnis permissio est prior naturâ reprobatione positivâ, consequenterque nulla potest esse illius effectus.

Hinc

138. Hinc colliges primò, permissionem peccatorum Angelorum non fuisse effectum reprobationis positivæ eorum; siquidem eorum reprobatio positiva supponebat ipsum eorum peccatum, & peccatum suam permissionem; illud autem, quod est prius, non potest esse effectus illius, quod est posterius. Secundò, etiam in parvulis permissionem durationis in peccato originali usque ad mortem, non fuisse effectum reprobationis positivæ eorum; siquidem hæc fuit etiam posterior ipso peccato ut sic durante; consequenterque posterior ipsa permissione talis durationis. Tertiò, permissiones peccatorum, quæ integræ, & omnino fuerunt remissa in hac vita, non fuisse in reprobis effectus reprobationis positivæ eorum. Patet primò, quia nulla permissio peccati, etiam finalis, & non remissa, est effectus reprobationis positivæ; ergo neque sic erit permissio peccati jam remissa. Secundò, quia huiusmodi permissiones plures fuerunt in electis, in quibus non fuerunt reprobationis effectus; ergo neque sic fuerunt in reprobis. Tertiò, quia huiusmodi permissiones non conducunt actu ad pœnam æternam; siquidem hæc cum ipsis peccatis remittitur; sicque autem semel remissa non reviviscit, sicut non reviviscunt ipsa peccata; sed ut essent effectus reprobationis positivæ, debebant sic actu conducere ad pœnam æternam, ut diximus; ergo &c.

139. Nihilominus contra conclusionem appositam duæ adhuc sunt sententiæ: Prima asserit omnem permissionem peccati finalis, etiam originalis, & primi, esse effectum reprobationis positivæ; siquidem, ut ait, omnis permissio peccati finalis actu conducit ad damnationem æternam, & datur reprobo ex intentione excludendi illum à regno. Ita *P. Alarcon tract. 4. d. 5. cap. 5.* Non placet, primò ob rationes supra factas. Secundò, quia infra probabimus, non dari in Deo talem intentionem excludendi à gloria.

140. Secunda sententia affirmat, permissionem, non quidem primi, sed secundi peccati finalis, & aliorum subsequentiū, esse effectum reprobationis positivæ. Ita *P. Herice tract. 3. d. 34. cap. 3. à n. 9.* *P. Ruiz d. 38. sect. 7. à n. 11.* quorum sententia differt à prima in eo, quod prima admittit reprobationem positivam, seu intentionem excludendi reprobos à gloria ante prævisionem omnis peccati finalis, etiam primi; hæc autem secunda non ita; asserit tamen, Deum prius permittere primum ex peccatis finalibus; deinde propter illud prævisum reprobare positivè; deincepsque ex tali reprobatione sequi permissiones aliorum peccatorum, etiam finalium subsequentiū; sicque concludit hæc sententia, permissionem primi peccati finalis non esse effectum reprobationis positivæ, cum hanc antecedit; alias verò permissiones aliorum peccatorum finalium subsequentiū, cum jam ipsam reprobationem positivam supponant, posse esse illius effectus. Unde pro illis:

141. Argues 1. Omnis permissio peccati est effectus Providentiæ divinæ, prout supra diximus; sed non ipsius providentiæ, quatenus est prædestinatio; ergo quatenus est reprobatio; consequenterque omnis permissio peccati est effectus reprobationis. Respondeo permissiones peccatorum in reprobis posse esse effectus prædestinationis Sanctorum, prout supra diximus; aut etiam reprobationis negativæ ipsorum reproborum: aut si nullius ex his, erunt effectus providentiæ Dei generalis supernaturalis, quam Deus habet circa omnes homines in ordine ad salutem. Unde quatenus effe-

Tom. 1.

ctus prædestinationis Sanctorum, habent pro fine eorum gloriam; quatenus autem effectus providentiæ generalis, habent pro fine suam liberam arbitrii dispositionem, ut homo suam agnoscat fragilitatem, & Deus suam ostendar potentiam, & dominium.

Argues 2. Permissio peccati est medium unicum per se requisitum ad finem reprobationis, ita ut, licet non sit illius causa per se, sicut talis non est ipsius peccati, sit saltem occasio removens id, quod potest impedire ipsum finem, qui illa posita, aut sublata, infallibiliter ponetur, aut auferetur; ergo erit illius effectus; sicut media ad finem prædestinationis sunt ejus effectus. Respondeo negando antecedens: ut enim esset medium, debebat esse volita ex talis finis intentione; non autem sic est, ut supra diximus: si autem esset occasio, ex qua ipsa intentio finis sequitur per acciden- tiam, potius arguitur pertinere ad causam, quam ad effectum ipsius reprobationis, ut intendit argumentum.

Neque dicas in intentione finis contineri ut effectus virtute, non solum media, sed etiam occasiones, quales sunt permissiones peccatorum. Non, inquam, hoc dicas, siquidem id solum est verum de illis occasionibus, (sicut & mediis,) quæ sunt post ipsam intentionem finis; non autem de illis, quæ eam antecedunt; alioqui Deus volendo punitionem peccati post ipsum peccatum, diceretur velle etiam ipsum peccatum, quod est occasio, seu medium antecedens volitionem punitionis illius.

Argues 3. Permissiones peccatorum finalium subsequentiū sunt effectus permissionis primi peccati finalis, ut intendit probare *P. Ruiz cit. ex D. Aug. in psal. 57. D. Greg. lib. 11. Moral. cap. 7.* & aliis; ergo sunt effectus reprobationis positivæ. Respondeo dato antecedente, negando consequentiam; solum enim ex antecedente infertur ad plurimum, permissiones peccatorum subsequentiū esse effectus permissionis primi peccati finalis, quatenus hæc est reprobatio negativa excludens à gratia; non tamen probat, quod sit reprobatio positiva excludens à gloria.

## S E C T I O X.

*Aliqua enumerantur, de quibus dubitatur, an sint reprobationis effectus?*



Um varii sint effectus, de quibus hæc dubitari solet, sint-nè re vera effectus reprobationis, aut negativæ, aut positivæ, cujusmodi sunt negatio gratiæ finalis, & quæ ex illa sequuntur, ingenium prævium, mors temporalis, & similia, eaque tam respectu reprobationis negativæ, quam positivæ, primum de illis in ordine ad reprobationem negativam, postea in ordine ad positivam inquiremus: Sit igitur.

Difficultas prima: Qualesnam ex his sint effectus reprobationis negativæ? Dico 1. Negatio gratiæ finalis est effectus reprobationis negativæ. Est communis. Probatur, quia talis negatio procedit ex voluntate ponendi illam, sive non dandi gratiam finalem; sed voluntas ponendi negationem gratiæ finalis, sive non dandi gratiam finalem, coincidit cum reprobatione negativa, prout supra diximus; ergo &c.

S f. 2

Dico

147. Dico 2. Omnia, quæ sequuntur ex negatione gratiæ finalis actu conducentia ad pœnam æternam; imò & ipsa pœna æterna, sunt effectus reprobationis negativæ. Est etiam communis. Probatur, quia hæc omnia, ut supponimus, sequuntur ex negatione gratiæ finalis; sed hæc est veluti primarius effectus reprobationis negativæ, ut diximus; ergo etiam illa omnia, quæ ex illa sequuntur, erunt effectus ipsius reprobationis negativæ, saltem mediâtè, & remotè: sicut enim quidquid est causa causæ est causa sui causati; ita etiam quidquid est effectus prioris effectus, est etiam effectus illius causæ, quæ causat primum effectum.

148. Hinc colliges, obdurationem, & impenitentiam, prout dicunt negationem gratiæ congruæ, quâ homo poenitentiam ageret, si daretur: Deinde excecationem, prout dicit negationem gratiæ illuminantis efficaciter, & similia, esse effectus reprobationis negativæ, saltem mediâtè, & remotè; siquidem, cum sint effectus negationis gratiæ finalis, & hæc sit effectus reprobationis negativæ, ut diximus, etiam illa manent ejus effectus mediâtè, ac remotè.

149. Dico 3. Ingenium pravum, & ad virtutum opera rebelles, non est effectus reprobationis negativæ. Ita *P. Alarcon tract. 4. d. 5. cap. 7. n. 2. & alii*. Probatur, quia depravatio illa, aut est physica, & à naturâ insita propter pravum temperamentum; aut moralis, & acquisita per malos habitus: si prima, cum antecedit cum ipso esse ipsius reprobi reprobationem negativam, non potest esse illius effectus: si secunda, cum sit malum morale, cujus Deus non est causa, non potest esse effectus Dei; ergo neque reprobationis, cujus ut esset effectus, debebat esse effectus Dei, ut diximus.

150. Oppones 1. Bonum ingenium ad virtutem utile est effectus prædestinationis; ergo ingenium depravatum, & ad virtutem inutile, erit effectus reprobationis, saltem negativæ. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia bonum ingenium potuit postea causari à Deo per temperamenti mutationem, & dari prædestinato ex intentione salutis, sicque cum supponat ipsam prædestinationem, & possit esse effectus Dei, etiam potest esse prædestinationis effectus: at verò malum ingenium, si tale sit physicè, cum antecedit ipsam reprobationem, non potest esse illius effectus; si autem tale sit moraliter, cum non possit esse effectus Dei, neque talis erit reprobationis.

151. Instabis: Ex eo, quod bonum ingenium potuerit præstari à Deo ex intentione salutis, est effectus prædestinationis; sed Deus potuit etiam reddere genium depravatum ex negatione eligendi ad regnum; ergo erit effectus talis non electionis, sive reprobationis negativæ. Respondeo ad minorem, dato quod Deus ita potuerit reddere, non constare de facto, ita factum fuisse: tum ob rationem factam: tum etiam, quia non est ita conforme Bonitati Divinæ reddere genium depravatum, sicut est reddere illud bonum.

152. Oppones 2. Ex *Trid. Sess. 3. de peccato Origin.* ingenium depravatum est effectus peccati originalis; sed peccatum originale ut finale quoad permissionem est effectus reprobationis negativæ; ergo etiam sic erit illud ingenium, saltem mediâtè, & remotè; quidquid enim est causa causæ, est causa sui causati. Respondeo ingenium physicè depravatum esse quidem effectum peccati Adæ, quod in posterorum ingeniis punitur; non tamen esse effectum peccati originalis proprii, ac personalis

cujusque filii reprobi; siquidem illud antecedit; nam cum reprobis in utero matris concipitur, jam in ejus corpore præsupponuntur semina bonæ, aut malæ constitutionis, ac temperamentis.

Oppones 3. Ingenium depravatum, sive mala indoles, conducit actu ad pœnam æternam; sed quod ita conducit, est effectus reprobationis, ut diximus; ergo &c. Respondeo minorem esse veram, dummodò habeat alias condiciones requisitas, quarum prima est, quod sit effectus Dei; talis autem non est indoles moraliter depravata, ut diximus: depravata verò physicè antecedit ipsam reprobationem, ut etiam diximus, sicque nullo modo potest esse reprobationis effectus.

Difficultas secunda: Utrum creatio, & mors sint effectus reprobationis negativæ? Dico 1. Creatio hominis non est effectus reprobationis illius. Ita *P. Ruiz d. 38. sect. 9. num. 4.* Probatur, quia decretum creationis est prius decreto reprobationis, tam negativæ, quam positivæ; siquidem prius est, esse Judam v. g. quam illum non eligere, & positivè reprobare; ergo cum illius creatio sit prior, quam ejus reprobatio, non potest esse illius effectus. Confirmatur, quia creatio hominis prædestinati non est effectus prædestinationis illius, ut supra diximus; ergo neque creatio hominis reprobi erit effectus reprobationis illius.

Dices 1. Creatio hominis reprobi conducit actu ad finem reprobationis; ergo est illius effectus. Respondeo negando consequentiam: antecedens enim solum probat, creationem fore reprobationis effectum, quando alia ratio non probaret, illam esse priorem ipsa reprobatione, ut vidimus; nullus autem effectus est prior suâ causâ.

Dices 2. Circumstantiæ, sub quibus creantur reprobi, sunt tales, ut Deus de illis præciverit, damnandum fore hominem, si sub illis creetur; ergo potuit Deus ex efficaci intentione reprobandi moveri ad creandum sub talibus circumstantiis; consequenterque creatio talis hominis erit effectus reprobationis illius. Respondeo, Deum potuisse creare Judam v. g. sub his circumstantiis ex intentione efficaci reprobandi illum; de facto tamen non ita creasse, neque enim decrevit reprobare Judam, nisi post peccatum illius absolute prævisum, quod cum supponat ejus creationem, etiam hanc supponit ejus reprobatio, sicque creatio non est effectus reprobationis illius.

Dico 2. Mors temporalis considerata quoad substantiam, nempe quoad debitum, & exigentiam, non est effectus reprobationis negativæ. Ita *P. Soar. de Reprob. cap. 7. n. 11. P. Henrici, d. 34. cap. 2. n. 6. & alii*. Probatur, quia mors temporalis ut sic considerata antecedit reprobationem negativam; siquidem quando reprobis in utero matris concipitur, jam in ipsius materia præsupponitur corruptionis semen, & mortis debitum, ac exigentia; ergo &c.

Dices: Mors temporalis ut sic considerata, est effectus peccati originalis, ut patet ex illo *Rom. 5. ibi: Per unum hominem mors*; sed peccatum originale est effectus reprobationis negativæ; ergo etiam talis erit mors ut sic considerata. Resp. mortem esse quidem effectum peccati originalis Adæ; non autem posterorum; siquidem antequam illud incurrant, jam in eorum corporibus præsupponuntur corruptionis semina, ac mortis debitum, & exigentia; & cum mors, prout sic antecedit ipsum posterorum originale, & hoc antecedit ipsam reprobationem negativam, etiam illam antecedit.

cedit ipsa mors, prout sic considerata, sicque non potest esse illius effectus.

159. Dico 3. Mors temporalis quoad aliquas circumstantias atroces aliquando est effectus reprobationis negativæ. Ita P. Sbar. P. Herice cit. P. Ruiz d. 38. sect. 9. num. 10. & alii. Probatur primò ex variis locis, in quibus mors ex variis circumstantiis indicatur, esse signum, sive effectum reprobationis, ut patet ex illo Ecclesiast. cap. 9. Nescit homo finem suum; sed sicut pisces capiuntur hamo, & aves laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit. Et Luc. 21. Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vite, & superveniat in vos repentina dies illa. Et Sapient. cap. 4. Confringentur (id est morientur) rami inconsummati, & fructus illorum inutilis, & acerbi ad manducandum. Et Job. 22. Sublati sunt ante tempus suum. Et Ecclesiast. cap. 7. Ne impie agas multum; & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. Accedunt D. Aug. lib. 1. de prædest. Sanctior. cap. 14. & lib. de corrept. & grat. cap. 8. D. Cyprian. lib. 3. ad Quirinum cap. 58. & lib. de mortalit. D. Greg. lib. 15. Moral. cap. 4. D. Bern. ferm. de Innocentib. & alii apud P. Ruiz cit. d. 24. sect. 6. an. 3. qui sicut maturam mortem in iusto tribuunt ejus prædestinationi, ita etiam immaturam in peccatore reducant ad occulta judicia negata prædestinationis, sive reprobationis negativæ.

160. Probatur secundò ab exemplis: Primò ex illo eventu atrocissimo, in quo, ut constat. Numer. 16. terra devoravit Dathan, & Abiron: Secundò ex illo tremendo casu Ananiæ, & Saphiræ, de quo Act. 5. quibus omnibus mors temporalis, & æterna per modum unius fuit infligta in poenam peccati finalis: mors autem temporalis sic continuata cum æternâ per modum unius, non solum est effectus reprobationis negativæ, ut intendimus, sed etiam positivæ, ut infra probabimus.

## SECTIO XI.

Virum aliqui ex supra dictis sint effectus reprobationis positivæ?

161. **D**ico 1. Executio poenæ æternæ, & omnia media ad illam in effectu infligenda, sive in Inferno, sive in Limbo, qualia sunt tormenta, & alia poenæ sensus in Inferno; tenebræ, & carceres in Limbo, aliaque negationes, & privationes, quæ ibi sunt à Deo reprobis ordinatæ, sunt effectus reprobationis positivæ. Ita P. Herice tract. 3. d. 34. cap. 1. n. 4. P. Amicus cit. n. 61. & alii. Probatur primò, quia hujusmodi effectus ita sunt proprii reproborum, ut aliis non competant; ergo eis proveniunt, quia reprobi, sive ex eorum reprobatione positivâ. Secundò, quia gloria, & omnia media ad illam in effectu consequenda, & omnia post illam subsequenta, sunt prædestinationis effectus; ergo etiam non solum executio poenæ æternæ, sed etiam omnia, quæ ad illam inserviunt, & illam subsecuntur, erunt reprobationis effectus.

162. Utrum autem mors temporalis, & alia mala poenæ hujus vitæ sint effectus reprobationis positivæ? Negant plures, mala poenæ, imò & bona hujus vitæ, non esse effectus reprobationis positivæ. Fundantur primò, quia à Deo specialiter dantur ad ostendendam Justitiam in reprobos, & Misericordiam in electos.

Secundò, quia aliquo modo conducunt in eorum damnationem; nam sicut creatio in prædestinatis est necessaria, ut circa illos exerceatur Misericordia Divina; ita etiam necessaria est in reprobis, ut circa illos exerceatur Divina Justitia; & sicut prædestinatis omnia cooperantur in bonum; ita & reprobis omnia cooperantur in malum. Unde eximia naturæ pulchritudo, & aliorum bonorum affluentia, ita sunt reprobis occasio ruinæ, ut postea jam in Inferno damnati, de illis specialiter doleant, quod illis non bene usi fuerint.

163. Non placent, quia ut essent effectus reprobationis positivæ, debebant à Deo præstari ex intentione excludendi à regno, & puniendi poenâ æternâ; sed non ita præstantur; siquidem præstantur in vita ante prævisa peccata finalia in morte; Deus autem non habuit talem intentionem ante prævisam mortem in ipso peccato finali; ergo illa non præstat ex tali intentione; consequenterque non sunt effectus reprobationis positivæ. Hinc inferes, effectus reprobationis positivæ non incipere ab illis malis poenæ, & à fortiori neque ab illis bonis, sed à voluntate puniendi poenâ æternâ, quæ est voluntas purè vindicativa; mala autem poenæ hujus vitæ à Deo infligta, quātum est ex parte Dei, semper sunt medicinalia, si homo converti velit, & ad hunc finem à Deo infliguntur.

164. Dices: Omnia hæc conducunt ad poenâ æternam; sed omnia, quæ ita conducunt, sunt effectus reprobationis; sicut omnia, quæ conducunt ad vitam æternam sunt effectus prædestinationis; ergo &c. Respondeo minorem esse veram, dummodò habeant omnes alias conditiones requisitas, quas supponimus habere omnia illa, quæ conducunt ad vitam æternam, & sunt prædestinationis effectus; non tamen habent hæc, de quibus nunc agimus, ut sint effectus reprobationis; siquidem non dantur à Deo ex intentione damnandi; neque enim Deus ante prævisa demerita finalia vult aliquem damnare; nam cum reprobatio sit per modum sententiæ latæ, supponit culpam finalem, & cum hæc finalis non sit, nisi in ipso mortis instanti, omnia, quæ ipsam mortem antecedunt, sicut antecedunt illa mala, & bona hujus vitæ, non possunt esse effectus reprobationis positivæ.

165. Dico 2. Mors temporalis, quando ita conjuncta est cum morte æterna, ut per modum unius sumatur cum illa, est effectus reprobationis positivæ. Ita P. Sbar. lib. 5. de Reprobat. cap. 7. num. 11. P. Herice tract. 3. d. 34. cap. 2. n. 5. & alii. Probatur primò ex locis Sacre Scripturæ supra cit. n. 159. præsertim ex illo Numer. 16. ibi: Dirupta est terra sub pedibus eorum ..... descenderuntque vivi in infernum: ubi loquitur de damnatione Dathan, & Abiron: quod etiam accidit Ananiæ, & Saphiræ, de quibus Act. 5. hoc autem mortis genus, cum ex speciali ordinatione, & causalitate Dei procedat, quatenus in illa videatur Deus tradere eos demonibus, ut suæ Justitiæ ministris, ut illos violenter occidant, morte causas naturales præveniente, non potest non esse effectus reprobationis positivæ; ergo &c.

166. Probatur secundò ratione, quia ille est effectus reprobationis positivæ, qui procedit ex sententia lata destinante reprobum ad poenam æternam; siquidem sola hæc sententia est reprobatio positivæ; sed mors illa in eo eventu procedit ex sententia lata destinante ad poenam æternam, quatenus conjungitur cum illa per modum unius, & ab illa incipit ipsa poena æterna; siquidem Deus prævidendo illa

peccata finalia; potuit propter illa destinare hominem ad poenam æternam incipiendo illum punire à tali mortis genere; ergo talis mors, prout sic est effectus reprobationis positivæ.

167. Dices: Homines illi in eo vitæ spatio, quod eis restabat post peccatum, poterant poenitentiam agere; ergo adhuc tunc eorum peccatum non prævidebatur finale; consequenterque neque sententia reprobans; ergo talis mors non est effectus reprobationis positivæ. Respondeo negando antecedens, suppositâ Scientiâ, quam Deus habebat de illis poenitentiam non acturis; sicque ab eo tempore poterat Deus proferre sententiam, & vindictam incipere. Additur, si illis reprobis, relicto causarum naturalium cursu, adhuc aliquot vitæ anni restarent, posse Deum eos vitæ annos ad breve spatium redigere, & ita de facto cum illis fecisse, inde incipiendo punitionem in vindictam ipsorum peccatorum, quæ ab eo prævidebantur finalia futura.

168. Dico 3. Mors temporalis, quando non continuatur cum æterna, ut regulariter non continuatur, non est effectus reprobationis positivæ. Ita P. Soar. P. Herice cit. & alii. Probatur, quia reprobatio positiva non fit à Deo propter quodlibet peccatum commissum, sed tantum propter finale, quod ut finale prævidet; sed regulariter non illud prævidet ut finale, nisi post mortem prævisam, per quam redditur finale, & debet ut conditio præcedere, ut feratur illud iudicium; ergo regulariter loquendo mors temporalis non est effectus reprobationis positivæ.

169. Dices: Si Deus videat mortem prædestinati in peccato mortali eminentem, eamque impediat, tale impedimentum erit effectus prædestinationis illius; ergo è contra, si videat reprobi mortem eminentem in peccato mortali, illamque non impediat, tale non impedimentum, & talis mors erit effectus reprobationis positivæ illius. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Deus in primo eventu operatur per speciale beneficium contra causarum secundarum exigentiam, idque ex salutis affectu; quod autem ita fit, est prædestinationis effectus: at verò in secundo eventu operatur Deus secundum exigentiam causarum secundarum sine ulla obligatione impediendi earum concursum naturalem, idque non ex affectu puniendi, sed ex aliis finibus, nempe ut ipse rerum naturalium cursus non invertatur; aut ut aliquis prædestinatus ob eam reprobi mortem respiciat, & ad poenitentiam redeat, & similibus; sicque talis mors non potest esse effectus reprobationis positivæ. Adnotamen, si accadat, quod Deus naturalem rerum ordinem invertat, & hominem morte intempestivâ occidat, idque ex affectu illum puniendi poenâ æternâ, tunc mortem illam esse effectum reprobationis positivæ illius: attamen hoc jam procedit juxta superius dicta num. 165. hic autem loquimur in alio sensu, ut patet, solum enim hic resolvimus de morte reproborum regulariter eveniente.



## DISPUTATIO VI.

### Comparantur Prædestinatio, & Reprobatio inter se.

#### SECTIO I.

*Virum in Deo detur voluntas generalis perdendi, sicut salvandi omnes?*



**A**DVERTES in Deo duplicem posse considerari voluntatem, alteram simplicis complacentiæ, per quam Deus ita sibi complacet in objecto, ut nullo modo intendat illud fieri; alteram per modum intentionis, seu propositi, per quam Deus ita sibi complacet in ipso objecto, ut aliquo modo illud fieri intendat, & ad illud ponendum procuret, & adhibeat media. Hoc posito.

Difficultas 1. Utrum in Deo detur voluntas generalis excludendi omnes à regno per modum simplicis complacentiæ? Affirmativè. Ita P. Ar. rub. 1. p. d. 89. cap. 2. n. 4. P. Alarcon. 1. p. tract. 3. d. 6. cap. 4. n. 4. & alii. Probatur, quia hujusmodi exclusio omnium à regno fuit possibilis & honesta: tum quia Deus potuit omnes creare, non ex motivo salvandi illos, sed ex aliquo alio honesto: tum quia postquam illos creavit ex motivo dandi gloriam, potuit non dare auxilia congrua ad illam in effectu consequendam, idque ad ostendendum perfectum dominium in creaturas, consequenterque non salvare, cum de facto liberè salvet; sed Deus affectu simplicis complacentiæ amat omne possibile honestum, & in eo sibi complacet; ergo etiam ita sibi complacet in illa omnium exclusionè à regno.

Obijcies: Deus in nullius morte, & perditione sibi complacet, juxta illud Sapient. 1. ibi: *Deus mortem non fecit, nec letatur in perditione viventium*; ergò non habet eam complacentiam in exclusionè omnium à regno. Resp. primò, in textu cit. nomine mortis, & perditionis intelligi peccata, in quibus Deus nullo modo sibi complacet, & de quibus non loquimur, sed de exclusionè à regno, quæ est longè diversa à peccatis, & de qua ex motivo aliquo honesto potest Deus sibi complacere.

Resp. secundò distinguendo antecedens: Deus in nullius morte sibi complacet, quæ sit mors, & perditio actualis, & objectum voluntatis per modum intentionis, & propositi; concedo antecedens: quæ sit mors, & perditio possibilis, & objectum voluntatis per modum complacentiæ simplicis; nego antecedens: illud autem significatur in loco supra citato, ut indicat verbum *fecit*, quod significat actualitatem: non tamen probat non habere voluntatem simplicis complacentiæ, quæ tendit in omne possibile honestum, qualis est omnium exclusio à regno.

Difficultas